R-4725

FRANCKENAU, Gerardus Ernestus de

Sacra themidis Hispanae arcana ... / ... Gerardus Ernestus de Franckenau ... — Editio secunda / novis accessionibus locupletata a Francisco Cerdano et Rico. — Matriti : Apud Antonium Sancham ..., 1780

24/20

B.Bak.T. ~~A 19-4-6~~

~~R-4698~~

R- 4725

# SACRA
# THEMIDIS HISPANAE
# ARCANA,

JURIUM LEGUMQUE ORTUS, PROGRESSUS,
VARIETATES ET OBSERVANTIAS,

CUM PRAECIPUIS GLOSSARUM
COMMENTARIORUMQUE,
QUIBUS ILLUSTRANTUR, AUCTORIBUS,

ET FORI HISPANI PRAXI
HODIERNA,

*PUBLICAE LUCI EXPONIT*


## D. GERARDUS
## ERNESTUS DE FRANCKENAU,

S.R.M. DANIAE ET NORVEGIAE SECRETARIUS.


EDITIO SECUNDA

NOVIS ACCESSIONIBUS LOCUPLETATA

*A FRANCISCO CERDANO ET RICO.*


MATRITI.

Apud ANTONIUM SANCHAM, in platea vulgo
*de la Aduana vieja.*

ANNO M. DCC. LXXX.

AUGUSTISSIMO

# FRIDERICO IV.

REGUM

EXEMPLARI. P. P.

PIO. FELICI. VICTORI

SACRUM.

TUI est, REGUM OPT. MAX. muneris, quidquid hic tenues præstitere vires: TUA indulgentia perfecta opella, quæ faustis INVICTISSIMI HEROIS, PARENTIS TUI REGISque DESIDERATISSIMI, auspiciis cœperat: EJUS nutu clementissimo adire Hispanias, & quæ nos hactenus latuere regni fulcra, leges puto, perscrutari licuit: TUO nunc cœptis auspicatissimo frui exitu datum est.

Suscipe ergo hanc devincti animi, obsequiique devotissimi levem pondere, gravem fide tesseram, & Arctoi orbis, dum fata sinant, DECUS ac TUTAMEN esto!

# ÆDITORIS PRAEFATIO.

MIrari sæpe soleo, adolescentes nostros recens e schola egressos, qui juri patrio addiscendo se tradunt, nulla * antiquitatum Hispanarum, nullaque historiæ juris, quod profiteri se jactant, notitia instructos, statim in forum advolare de rebus gravissimis dicturos: cum, qui hujusmodi subsidiis destituuntur, tamquam illuni nocte sine sidere errantes, sæpe labantur, sæpe ad quemvis scopulum impingant, necesse sit. Nam cum juris prudentia, qua utimur, tot vicissitudines a Gothorum in Hispaniam adventu ad nostra usque tempora subierit, qui fieri poterit, ut non plusquam Cimmeriis tenebris oppressus jaceat, qui reip. Hispanæ statum, tum veterem, tum recentem probe cognitum atque perspectum non habeat, & quos juris prudentia nostra singulis ætatibus fe-

 ce-

* De conjungendo Hispanarum antiquitatum cum patriæ juris prudentiæ studio eruditam juxta ac elegantem elucubravit dissertationem Cl. Gaspar de Jove Llano, XII vir litibus judicandis in aula urbeque regia, quem, dum hæc scribo, ob egregia sua merita in supremum equestrium ordinum senatum audio fuisse allectum. Hanc ille dissertationem summo omnium, qui aderant, plausu recitavit, quo die Regiæ Acad. Hist. sociorum albo est ascriptus: nec dubito, quin, si in lucem prodiret, sua se præstantia ac utilitate omnibus commendaret.

cerit progressus, quæ fata habuerit, prorsus ignoret? Certe quod de jure Romano scriptum reliquit eloquentiæ parens * Cicero: *Plurima erat in omni jure civili antiquitatis effigies, & prisca verborum vetustas, & actionum genera quædam, quæ majorum consuetudinem vitamque declarabant*, id quam commodissime ad nostrum posse transferri, nemo inficias ibit, nisi qui stupidior sit lapide molari. Quare oleum & operam perderem, si in re adeo manifesta argumentis comprobanda diutius immorarer.

Et de antiquitatibus quidem Hispaniæ haud pauci viri eruditione præstantes copiosos reliquere commentarios omni laude dignos. Quoniam autem juvenibus ad ulteriora properantibus haud multum temporis his studiis licebit tribuere, sed tantum ex iis haurire, quantum satis erit ad juris prudentiæ nostræ stadium cum fructu decurrendum, auctor sum, ut Jo. Marianæ opus absolutissimum perlegant, quod reliquis palmam præripuit, tum ob stili elegantiam, tum ob ordinem ac in rebus narrandis jucundam brevitatem. Adde etiam auctoris ἀκρίβειαν, qua verum a falso secernere perpetuo studet.

Juris Hispani ortum, progressus & fata nemo copiosius & accuratius pertractavit, quam Ger. Ern. de Franckenau,

qui

* *De Oratore* lib. I. cap. 43.

qui non modo ſingulas legum collectiones diligenter recenſuit, ſed & interpretum, quorum aliquid exſtat ad eas illuſtrandas ſive typis expreſſum, ſive in bibliothecarum angulis repoſitum, ſcripta & in remp. litterariam merita eleganter enarravit.

De operis hujus præſtantia dicere ſuperſedeo, cum id ante me cumulate præſtiterit vir omni laude major GREG. MAJANSIUS generoſus Valentinus in *Diſſertatione* inferius attexenda; in qua pro virili annisus eſt probare, verum *Themidis Hiſpanæ*, uti & *Bibliothecæ hiſt. geneal. herald.* Auctorem fuiſſe JO. LUCAM CORTESIUM, in rerum noſtrarum ſtudio nemini ſua ætate ſecundum.

Ego vero, cum multos abhinc annos reip. litterariæ, ſi qua in re poſſem, inſervire mihi in animo propoſuerim, operæ pretium facturus exiſtimavi, ſi juventutis Hiſpanæ commodo opuſculum hocce quantivis pretii & auro contra non carum recudendum curarem.

Ut vero major operi pretium conciliaretur, præter laudatam MAJANSII diſſertationem ex Rami vita huc tranſlatam, addere viſum eſt ejuſdem doctiſſimi auctoris *Epiſtolam* ad Jos. Berní advocatum Valentinum, non ſemel editam, nunc vero primum ex vernaculo in Latinum ſermonem a me converſam & notulis quibuſdam ornatam. In ea de legum Hiſpana-

rum collectionibus, de interpretum auctoritate, de æquitate, aliisque rebus scitu perquam dignis auctor disserit, qua solet doctrinæ copia atque elegantia.

Ad versionem nostram quod attinet, non dubitamus, quin plurimis scateat nævis, cum fervente prelo fuerit elucubrata, nec, quod summopere optabamus, præ temporis angustiis fieri potuerit, ut priusquam typis committeretur, ipsius MAJANSII censuram subiret. Quare virum humanissimum rogamus, ut quæ sibi minus arriserint, nobis significare haud gravetur, alia editione emendanda.

Propositum nobis fuerat, ex quo editionem hanc adornare institueramus, *Notas* aliquot & *Emendationes* ad operis finem attexere. Sunt enim nonnulla, quæ prætermitti nullo modo debuissent; alia limam adhuc desiderant. Ceterum cum neque ingruentes undique occupationes, neque libri jam moles pateretur, intactam hanc aliis provinciam relinquimus, queis per otium licebit aut Auctoris nævos detergere, aut novum opus, qua par est diligentia, procudere. Id quod jam diu speramus a viro in his studiis exercitato MICH. DE MANUEL Regiæ Academiæ Hist. Socio.

Errata, si quæ sunt, benigno lectori emendanda relinquimus.

AU-

# AUCTOR

## BENEVOLO LECTORI SAL.

NUllus umquam iteratis amicorum de origine statuve juris Hispani explicando precibus locus apud me fuisset, ni nuperæ ex aula Madritensi litteræ lacrumosum mihi nuntiassent obitum viri meritis in Remp. & civilem & litterariam immortalis D. Jo. Lucae Cortesii, supremi regii Castellæ senatus consiliarii. Meditatus is non solum erat, sed & ultima jam affectam manu dederat *Historiam juris Hispani*, bibliothecæ veteri amici ejus conjunctissimi Nic. Antonii (νῦν ἐν ἁγίοις) jam tum, cum ederetur, adjungendam. Nescio autem, qua fati inclementia factum, ut & illic omissum iri, & dilitescere in scriniis hucusque tam illustre & desideratum ab omnibus opus oportuerit. Memini etiam, me ex ipsius æque Cortesii ac aliorum, singulatim vero excellentissimi marchionis Villenæ, & ducis Escalonensis, Siciliæ, dum hæc scribo, proregis, Mæcenatisque mihi sempiterno devenerandi, audivisse ore querelas de neglecta hactenus Hispanarum rerum scriptoribus juris legumque suæ gentis historia: quibus omnibus fateor admodum incitatum me fuisse studio pro pauxillulis viribus subsidiisque summo hinc inde conquisitis labore illam investigandi, & qua fieri potuit ἀκριβείᾳ, contractioneque ac brevitate adum-

umbrandi. Ausis his animum nuperrime addidit iterata atque humanissima per epistolam invatio magnifici Cliniensium J. C. D. D. Samuelis Reyheri, quatulamcumque Hispaniæ legum notitiam a me efflagitavit. Tanti viri obsecundare jussis religio fuit. Eo majori ergo aggressus conatus opus in epistolæ limites potiora ejus circumscribendi momenta animo. Accrevit autem sub manibus labor, quodque aliquot pagellarum ambage finitum iri credideram opus, in justi excrevit libelli molem: quare & publicæ hoc labore utilitati consulendum duxi. In tuum ergo nunc prodit conspectum, benevole lector, serena si exceperis fronte, æquo si tuleris animo, animum currenti addes, & alios olim majoresque, si Deus cum vita vires suppeditaverit, itineris illius mei fructus est quod sperare possis. VALE!

CL. V.

# CL. V.

# OTTONIS SPERLINGII

## AD AUCTOREM

## *EPISTOLA.*

VIR NOBILISSIME, SPECTATISSIME ET ERUDITISSIME!

MEretur utique scriptum hoc tuum elegans, limatum & eruditum omnibus commendari. Et quamvis non indigeat commendatiunculis meis, quod tam præclare suopte se Marte commendat, hortator tamen esse non desinam, ut omnes illud legant, suumque faciant, quod non exiguo labore congestum ex ultimis oris publicæ luci tradere, & nobiscum communicare quæris. Rara avis sunt Hispanica in nostris tam longe dissitis oris. Hi sunt peregrinationis tuæ fructus, aut primitiæ, quas sequentur procul dubio non immitiores aliæ, vel indoctiores, quod non ego solum, sed omnes, qui litteras amant, desiderabunt. Utinam talia peregrinationis suæ indicia redderent omnes, utinam! Pauci sic peregrinantur, sic inquam, ut litteras secum peregrinare doceant. Eo beatiores sumus, quod non omnes orchestris & balbutie quadam exterorum ad nos redeant: hoc enim est peregrinari, litteras literis addere, cum eis exire, cum iis redire. Nemo quisquam in patria Hispania hæc tentavit, quæ tu peregrinus in illis oris collecta tecum, vir nobilissime, huc attulisti, & elaborasti. Quis non gratias tibi debere volet, & laudes infinitas? Reddemus non solum, qui vivimus, sed & posteri,

qui

qui futuri sunt, quotquot in litteras bonas animo sunt propenso. Ego, quoties considero, quanto labore hæc tibi constiterint, ordine quam pulchro digesseris, quamque singula penetraveris, singulos sua laude prosequaris, neminem intactum dimiseris, qui dignum aliquid legibus Hispanicis ausus fuit; næ, tu me elinguem reddis, ut nihil laudibus meritisque tuis dignum amplius comminisci queam, satiusque sit tacere, quam quidquam scribere. Fructus sane legentibus immensi in hoc opere parati sunt, quod agnoscent omnes, quibus paginam unam vel alteram evolvere volupe fuerit; quoque magis pervolvent usque ad finem, non pœnitendam se operam insumsisse jactare poterunt: legant modo & decies lecta placebunt adhuc. Amabunt te omnes ob hoc scriptum, quod non e trivio quodam petitum, sed ex intimis eruditionis elegantissimæ recessibus haustum protulisti. Ad te quid nisi gloria tam docti operis redire poterit? Nihil hic vecors, nihil insulsum, nulla satietas, nausea nulla: cujusvis palato arrident, quæ tam distincte, tam eleganter, tam docte concinnasti. Nulla pagina tibi, quæ non singulare quid delicatumque & auribus & oculis & animis offert, quibus recreentur & detineantur suavius, quam si in jecur Cratetis, aut cupedias illas philosophicas, morosas sæpenumero ac inextricabiles, inciderint: perpetuas delitias apponis, ut quid eligant, quid præferant, lectores dubitare possint, & nescire: adeo omnia & singula sunt exquisitissima. Ante omnes gaudia domino parenti tuo, summo & perillustri viro, toto jam orbe celeberrimo, quem luctus non ita pridem amissæ conjugis suavissimæ fere oppressit, excitabis incredibilia, qui filium talem progenuit, quem orbi erudito cum laude tam sua, quam tua se sistere videt; obliviscetur senii, redintegrabit vires, te fulciente, meumque fuerit, & ipsi tibi votis omnibus allaborare, ut diu ac feliciter vivatis bono publico, cui tam sedulo inser-

vi-

vire studetis. Tibi cum primis gratulor, vir eruditissime, quod illud argumentum occurrerit calamo tuo, quo quamplurimos beare nunc potes, qui calcar tibi addent, ut etiam majora proliciant, & gloriam tuam immortalem reddant. Veleas & vivas,

Vir nobilissime,

Ex voto addictissimi tui

OTTONIS SPERLING. U.J.D.

consiliarii regii, professoris publici & collegæ perillustris societatis regiæ Anglicanæ.

Dabam Hafniæ
ad d. XXIII. Januar.
Ann. cIↄ Iↄcc.II.

VI-

# VIRO GENEROSO ATQUE ERUDITISSIMO

DOMINO GERARDO ERNESTO DE FRANCKENAU,

serenissimo Daniæ Regi a secretis

S. P. D.

SAMUEL REYHER, J. C.

*Codicis & mathematum in alma Christian-Albertina professor publicus.*

HAud immerito nunc orbi litterario gratulor, quod opus dudum a me & pluribus aliis hactenus desideratissimum feliciter absolvisti. Historiam juris Hispanici specialem intelligo, quam vix alius pari elegantia ac perfectione producere potuisset, utpote qui ingenio, eruditione, alacritate, præditus commodissimam cum perillustri & excellentissimo domino ab Ehrencron, serenissimi Regis Daniæ legato gravissimo Hispanias non tantum adire, sed etiam cum eruditis ibidem viris sermones conferre, & sic in prima ultimæ Hesperiæ legum incunabula inquirire, & abditissima ibidem scrinia explorare nactus occasionem. Utinam ante annum ejus copia mihi facta fuisset, procul dubio Historiola mea universalissima nuper Hamburgi impressa, ubi inter alia quoque de Hispanorum jure aliqua recensui, longe perfectior prodiisset. Sed olim fortassis, volente Deo recudetur, & ex rarioribus tuis observationibus comtiora capiet argumenta. Faxit modo Deus O. M. ut una cum perillustri domino parente, eruditissimoque domino fratre diu, & quidem feliciter vivas, pluraque lectu dignissima in lucem edas. Vale, & in posterum quoque, ut hactenus, mihi fave. Dabam Kiliæ Holsatorum pridie Idus Martias anni cIɔ. Iɔ cc. II.

IN-

IN præfatione hujus operis mentio facta est *Historiæ juris Hispanici* ab illustri CORTESIO promissæ, operæ ergo reputamus pretium, de eadem viri incomparabilis D. Ludovici de Salazar & Castro, supremi Hispaniarum historiographi heic apponere verba, quæ ex ejus ad perillustrem legatum regium, dominum ab Ehrencron epistola ad nos transmissa depromsimus, hujus in vernaculo idiomate tenoris:

„ Ninguno de los autores, que V. S. halla citados, y no encuentra, vimos, y quiza será la „ causa no estar impressos, que es tanto como perdidos, porque passando de una mano a otra, cada una los desestima mas como parto ageno, y „ los dejan en la obscuridad. Por esto no se hallan algunos de los libros, que cita D. Nicolas „ Antonio, a quien conocí y traté, tanto como „ a D. JUAN LUCAS (CORTESIUM *intelligit*) y era „ tan buen caballero, que no citaria cosa, que no „ huviesse visto; y el no parecer la *Bibliotheca* „ *de los Jurisconsultos Españoles* de D. JUAN „ LUCAS CORTES, será, porque él no la perficionaria, respecto de su aversion a estampar, en que „ era tan modesto y tan desanimado, que nunca „ se alantó a publicar cosa con su nombre. Yo he „ reconocido todos sus manuscritos, y no hallo alguno, que a esto se parezca, ni mas que una coleccion de privilegios de nuestros Reyes por años, „ que si estuviera perfecta y publica, seria una grande obra. Pero él murió, y aunque no fuera assi, „ nunca la huviera acabado: porque ninguno de los „ trabajos, que empezó, llegó al fin, y ciertamente „ se sepultó con aquel grande hombre toda la erudicion Española, &c. Madrid y Junio 29. de „ 1702.“

Ex quibus spem publico patet superesse exiguam illa CORTESII *Historia juridica* umquam potiun-

tiundi. Est tamen, qui ejus jacturam, si per gravia liceret negotia resarcire omnium optime posset, vir multis itidem in rem publicam æque ac literariam meritis illustris, D. Jo. LUDOVICUS LOPEZIUS, supremi Aragoniæ senatus consiliarius, quem nuper regia benignitas Marchionis *del Risco* titulo & honore adauxit. Hic enim specimen ejus rei eidem perillustri legato nuper jam exhibuit: *Bibliothecam scriptorum, qui ad leges seu Foros regni Aragonum commentati sunt ab anno Christi* 1247. *usque ad* 1700. quam & istius benevolo permissu publicam aliquando lucem esse aspecturam, omnino confidimus.

# CL. V. GREGORII MAJANSII
# DISSERTATIO,

QUA SACRA THEMIDIS HISPANAE ARCANA,
E T
*Bibliotheca Hispana historico-genealogico-heraldica* vero suo auctori,

## JO. LUCAE CORTESIO,

Vindicantur, & simul plagium demonstratur
GER. ERNESTI DE FRANCKENAU.

INter celeberrimos, quos Franciscus Ramos del Manzano auditores est nactus, cum in Athenæo Salmanticensi omnium cum plausu juris scientiam publice profiteretur, præcipuum sane obtinuit locum Jo. Lucas Cortesius, vir de Hispaniæ antiquitatibus deque nostra juris prudentia optime meritus. Qui, licet, dum inter mortales versaretur, nihil ob singularem suam modestiam luci publicæ committere ausus fuisset, multa tamen eum opera bonæ frugis plenissima affecta reliquisse, scriptorum, qui illis temporibus floruere, testimonia dubitare nos non sinunt. Hujus generis fuisse *Juris Hispani origines* & *Bibliothecam genealogicam*, quæ G. E. de Franckenau sibi attribuit, ita mihi videor demonstrasse in Rami * vita, ut eques ille Danus, si vi-



* Præmissa est Rami *Vita* a Majansio elucubrata celeberrimi illius J. C. operibus a Gerardo Meermanno editis vol. V. *Thesauri jur. civ. & can.* num. 66. & seqq. Nos vero operæ pretium facturos existimavimus, si quæ de G. E. de Franckenau plagio a viro longe doctissimo ibi disputantur, integra hic sub *Dissertationis* titulo subjiceremus, præsertim cum vastum illud opus non ubique prostet, nec modico ære possit comparari. Constat enim VII. voll. f. m. cujus non sine magno Reip. litterariæ commodo *Supplementum post patris obitum edidit, & præfatione instruxit Jo. L. B. Meerman, toparcha in Dalem & Vuren*, Hagæ Comit. 1780. I. t. fol. Cerd.

veret, in furto se deprehensum fateri cogeretur. Cum vero prioris operis editionem locupletiorem atque accuratiorem suscepisset vir ad nostratium scriptorum litteraturam vindicandam natus Franciscus Cerdanus, carissimi mihi capitis precibus victus libenter sum passus, ut quæ multos ante annos de litterario hoc plagio disputavi, iterum in vulgus prodirent. Atque ea sic se habent.

Fridericus Adolphus Hansen ab Ehrencron fuit legatus extraordinarius Friderici IV. Daniæ Regis ad Philippum V. Hispaniarum Regem, qui Carolo II. successit anno 1700. sequenti anno 1701. obiit Madridii, uti alibi dictum est, Cl. vir Jo. Lucas Cortesius pridie Cal. Sept. *nihil*, ut ait Gerh. Ernestus de Franckenau, eques Danicus, in *Bibliotheca Hispanica historico-genealogico-heraldica* n. 785. *præter instructissimam æque ac selectissimam bibliothecam relinquens, ex qua, cum sub hasta veniret anno* 1702. *illustris Ehrencronius, eoque proxeneta & nos non paucos, eosque rariores obtinuimus historicos genealogicosque codices.* Sæpe alias confessus est idem Franckenau, illustrem Hansen ab Ehrencron emisse libros ex illa bibliotheca, ut videre est num. 27. 35. 51. 95. 159. 193. 446. 1135. Et manifestius hoc apparet ex ipsa Frid. Adolphi Hansen bibliotheca, quam Hagæ Comitum publice distraxit Abrah. de Hondt an. 1718. Cum igitur ex bibliotheca Jo. Lucae Cortesii libros emisset exquisitissimos, non solum F. A. ab Ehrencron, sed etiam ejus in legatione assecla ac Regis Daniæ & Norvegiæ secretarius Gerh. Ern. de Franckenau; perfacile hic libris a se & ab Ehrencronio emtis uti potuit. Jam vero quis credat, adeo scientem fuisse Franckenau rerum Hispanicarum, ut de his in Dania aggrederetur scribere, cum Otto Sperlingius, U. J. D. consiliarius regius & ejusdem Franckenau amicus, ad ipsum scripserit ita: *Rara avis sunt Hispanica in nostris tam*

*lon-*

*longe diſſitis oris?* Quo pacto perbrevi temporis ſpatio perſcrutari potuit, ut ipſe Friderico IV. ait in ſuæ *Themidis* dedicatione, ſacra Themidis Hiſpanæ arcana, & præterea obſervare, ſcribere, & Hafniam mittere a ſe elaborata, ubi lecta & laudata ab Ottone Sperlingio ante diem 23. Januarii anni 1702. (hoc eſt poſt tres menſes, & viginti tres dies a morte CORTESII, cujus manuſcriptorum probabo fuiſſe illum plagiarium) ut conſtat ex memorati Sperlingii epiſtola ad ipſum FRANCKENAU, &, ut jam abſoluta, laudata fuerunt a Samuele Reyer J. C. codicis & mathematum profeſſore Kiliæ Holſatorum pridie Idus Mart. ejuſdem anni; & ſequenti commiſſa prælo Hannoveræ apud Nic. Foerſterum, cujus editione utor? *Credat Judæus Apella: non ego.*

Verus auctor hujus libri fuit Jo. LUCAS CORTESIUS, qui ſcripſit opus ejuſdem argumenti teſte locupletiſſimo, ſummo ejus amico & concive Nic. Antonio, qui libro X. *Biblioth. vet. Hiſp.* cap. 1. in fine ſic ait: *Cum de his commentaremur, nobis oſtenſum ab erudito viro* D. Jo. L. CORTESIO, *criminalium rerum in curia & domo regia tunc XII. viro, poſtea Indiarum conſilii regio ſenatore, a quo exſpectamus de* originibus Hiſpani juris *libellum huic operi adjungendum, forte pro majori eorum, quos frequenter laudamus, ejuſdem Hiſpani juris, tot diverſis compilationibus contenti, gloſſatorum ſive interpretum cognitione.* Habemus hic ante omnia manifeſtum indicium temporis, quo Nic. Antonius hæc ſcribebat, poſtquam ſcilicet CORTESIUS jam erat regius ſenator in ſupremo Indiarum conſilio, quod munus obtinuit ineunte anno 1683. ut ex ejuſdem CORTESII epiſtola didici data ad Jos. Dormerium ſibi gratulantem III. Non. Aprilis prædicti anni. CORTESIUS vero Nic. Antonio librum ſuum oſtendit, cum eſſet XII. vir in curia & domo regia, hoc eſt *Alcalde*

*de casa y corte*; sive quod idem est; ante annum 1683. Deinde in laudatis Nic. Antonii verbis habemus manifesta plagii indicia, Cortesianum scilicet libellum *de Hispani juris originibus*, quem suum facere ausus est FRANCKENAU titulo solum immutato: observa libellum exiguæ molis, prout etiam est editus sub nomine FRANCKENAU: libellum eruditissimum, utpote quem suæ *Bibliothecæ* adjungere volebat sapientissimus Nic. Antonius. Eum autem obtinere potuit FRANCKENAU statim a morte CORTESII. Nam qui libros appetimus, non exspectare solemus, ut sub hasta vendantur, sed quam primum possumus, emimus: quod sæpissime ego expertus sum.

Neque me movet, quod ait FRANCKENAU in præfatione *Themidis*, se nuntium Cortesiani obitus accepisse in Sicilia. Video enim quam subdolam telam texuerit, ut incautos lectores deciperet. Sed credamus FRANCKENAU emisse libros sub hasta. Eo minus temporis habuit ad scribendum. At ego ei volo concedere vel decennium. Non potuit vel eo tempore tantam Hispani juris cognitionem ex tam diversis libris adquirere, quanta in hoc apparet libello. Licet enim in his, quæ pertinent ad regnum Valentiæ, sicut etiam Aragonum & principatum Cataloniæ nonnulla desiderentur, in rebus tamen Castellani juris, cujus cognitio propria erat CORTESII, mira est eruditio, eaque hominis diuturnæ & exquisitissimæ lectionis atque judicii, &, ut uno verbo dicam, ejusmodi, quæ in nullo alio ad hunc diem fuerit in Hispania præter unum CORTESIUM, qui librorum multitudine, raritate & usu omnes Hispanos antecelluit. Ejus siquidem bibliotheca, deductis omnibus impensis, sub hasta vendita fuit quadraginta mille ducatis, magna quidem pecuniæ summa, sed pretio vilissimo, si librorum copiam & æstimationem justam consideres: nam maxima pars librorum eruditarum exoticarumque linguarum di-

distracta fuit licitantibus propolis, aliisque similibus ad cucullos faciendos.

Cum igitur in hoc libello tanta & tam varia rerum cognitio appareat, quanta in eodem argumento in nullo alio Hispano fuit, neque ante CORTESIUM, neque post eum, & multo minus in quovis extero; necesse est, ut consideretur multorum annorum opus fuisse, & ab eo elaboratum, qui scriptorum Hispanorum libros optimos & rarissimos non solum noverit; verum etiam legerit, notaverit, excerpserit: quod qua ratione cohærere possit cum eo, quod ait FRANCKENAU sect. VIII. §. 12. exiguum librorum numerum sibi esse ad manum, nullo modo possum intelligere; & multo minus, cum lego, quod ipse ait in præfatione, Siciliæ (*in Sicilia* debuit dicere homo, qui se tam egregie eruditum ostentat) se scribere: ubi quam curta esset supellex Hispanorum librorum ad opus tam vastæ & reconditæ eruditionis elucubrandum, quilibet poterit considerare.

Illa vero solicitudo inquirendi librum CORTESII *de originibus Hispani juris* simulata & affectata est: sicut & studium hoc confirmandi auctoritate Lud. Salazarii, tum in nota quadam; quæ præcedit *Themidem Hispaniæ*, tum in *Biblioth. Hisp. geneal. herald.* num. 785. Hoc nihil aliud fuit, quam alterum, hircum mulgere, & alterum, cribrum supponere: maximæ si animadvertas, Salazarium in epistola ad Adolphum Hansen scripsisse, omnia CORTESII M. SS. se recensuisse, & nullum similis argumenti invenisse; neque umquam perfecisse aliquod opus, quod cœperit (quod certe falsum est) ipsum autem FRANCKENAU in memorata præfatione asserere, CORTESIUM non solum meditatum fuisse, sed & ultima jam affectam manu dedisse *historiam juris Hispani*. Cum igitur hoc sciret, cur ei locum non dedit in sua *Themide*? Dederat profecto, cum in *Indice auctorum, rerum*

*& verborum* ita legamus: Jo. Lucas Cortes. V. Cortes. Sed, si ad hoc nomen recurramus, nihil inveniemus. Suspicor itaque, Franckenau mentionem fecisse in operis contextu tum Jo. Lucae Cortesii, tum ejus libelli *de originibus Hispani juris*; verum postea cum plagii suspitionem evitare vellet, delevit quæ in operis contextu de Cortesio scripserat; delevit etiam Cortesii nomen in *Indice*, immemor harum rerum vestigium superesse aliud in ipso *Indice*, quem una cum opere Hannoveram misit, se absente, qui hanc incuriam animadvertere non poterat, excudendum; & simulavit se libellum Cortesianum inquirere, cum ipsa veritatis vis ei jam extorsisset hæc verba, quæ in ejus præfatione leguntur: *Meditatus is* (Jo. L. Cortesius) *non solum erat, sed & ultima jam affectam manu dederat historiam juris Hispani.* Si eam non viderat, unde sciebat, ultima jam affectam manu? nam hoc nemo alius præter eum scripsit; & nemo alius ei dixit; alioqui ejus testimonium allegaret, quemadmodum allegavit Salazarii, ut verisimilius fingeret, se numquam vidisse Cortesianum opus.

Hoc quibus verbis efformatum habuerit titulum, colligere possumus ex Nic. Antonii testimonio, quod, uti paulo ante meminimus, sic se habebat: *A quo* (Jo. L. Cortesio) *exspectamus* de originibus Hispani juris *libellum huic operi adjungendum, forte pro majori eorum, quos frequenter laudamus ejusdem Hispani juris, tot diversis compilationibus contenti, glossatorum sive interpretum cognitione.* Quæ verba si attente consideres, & effingere velis titulum huic descriptioni convenientem, nullum alium breviorem & accommodatiorem invenies, quam hunc: *de originibus Hispani juris*, sive *de legum Hispanarum ortu, progressibus, varietatibus, & compilationibus, cum præcipuis glossarum, commentario-*

*rum-*

*rumque, quibus illustrantur, auctoribus.* Vide nunc, & confer FRANCKENAVII titulum: *Sacra Themidis Hispanæ arcana.* Agnosco hic FRANCKENAVII ambitionem fastumque etiam superstitiosum, qui hæc arcana non solum sacraverit Regi suo, sed etiam Themidi Hispanæ. Verum in sequentibus (si excipias titulum quarto casu, & non primo expressum, quod insolens est, & verbum illud *Arcana*) observa Cortesianæ modestiæ vestigia, & ipsissimum CORTESII titulum secundum indicia, quæ nobis dedit Nic. Antonius: *Arcana jurium, legumque ortus, progressus, varietates, & observantiam, cum præcipuis glossarum, commentariorumque, quibus illustrantur, auctoribus, & fori Hispani praxi hodierna, publicæ luci exponit* D. GER. ERN. DE FRANCKENAU *S. R. M. Daniæ & Norvegiæ secretarius.*

Innumera hujusmodi possem addere. Sed fortius pro viro sapientissimo pugnandum est; maxime cum non adeo cautus fuerit FRANCKENAU, ut omnia plagii indicia a se amoverit: nam sectione IX. §. 8. ita scripsit: BERNARDUS ASCLOT, *seu de* SCLOT *auctor synchronos, & historicus illorum temporum a Bapt. Cervera nuper in Castellanum sermonem versus.* Sciendum est, librum hunc editum fuisse Barcinone apud Seb. Cormellas anno 1616. Quapropter *nuper* illud aliquo modo convenit Jo. L. CORTESIO, qui, cum, uti diximus, natus fuerit Hispali VII. Idus Nov. an. M. DC. XXIV. hæc scribere potuit post 25. aut 26. annos: non vero FRANCKENAU scribenti anno 1702. sive, quod idem est, post annos 86.

Præterea sect. IV. §. 4. allegans COVARRUBIAM & RUDERICUM SUAREZ, seu XUAREZ, vocat eos in contextu *pragmaticos nostros*, ut videatur loqui vir rebus forensibus deditus & Hispanus.

Ad hæc, sect. IX. §. 48. vestigium evidens exstat temporis, quo hujus libri verus auctor sectio-

ctionem illam scribebat, post annum scilicet 1670. circa quod tempus Cl. vir Raph. Vilosa Mediolanum vocatus fuit ad gerendum magni cancellarii munus. Neque ulterius auctor progreditur, cum certum sit, Vilosam postea in Hispaniam reversum, & in urbe regia magna munera gessiſse ad annum 1681. quo obiit regens sacri & supremi consilii Aragonum.

Sed quis dubitat, quin hæc verba desumta ex sect. II. §. 6. non sint FRANCKENAU, sed CORTESII? *Memini me*, inquit, *& in bibliotheca Didaci de Arce & Reinoso, generalis per universam Hispaniam hæreticæ pravitatis inquisitoris, & consiliarii senatus regii, quæ egregiis abundabat libris; cujusque catalogum typis Madritensibus apud Melch. Sanchez* 1660. *in fol. impressum ad manus habeo*, Partitarum *vidisse exemplar Vallisoleti una cum Lopecii scholiis* 1587. *fol. III. voluminibus excusum.* Auctor horum verborum tria refert: se vidisse illud *Partitarum* Alfonsinarum exemplar in bibliotheca Did. de Arce & Reinoso: bibliothecam illam abundasse egregiis libris: & ejus catalogum impressum fuisse. Catalogum librorum Didaci de Arce & Reinoso videre potuit impressum FRANCKENAU, & ad manus habere: ex eo vel ab amicis suis scire potuit, bibliothecam illam egregiis libris abundasse; ipsam vero bibliothecam nullo modo videre potuit. Decessit enim Didacus de Arce & Reinoso XV. Calendas Augustas anni 1665.

In eumdem lapidem offendit FRANCKENAU sect. X. §. 9. cum exscribens CORTESIUM, ait: *Exstitit illud volumen* (fororum scilicet Valentinorum) *quod vidimus in bibliotheca Didaci de Arce & Reinoso generalis per Hispaniam fidei inquisitoris*: & ibidem in eo fallitur, edidisse Petrum Hier. Tarazonam U. J. D. regni Valentini foros, confundens hos cum *Institutionibus fororum*

rum

*rum & privilegiorum regni Valentiæ*, quas laudatus Tarazona peritissime confecit. Paulo post meminit Franckenau ejusdem bibliothecæ.

Huc accedit, auctorem hujus libri videri fuisse amicum Nic. Antonii, qualis certe fuit Cortesius, ut constat ex *veteri Bibliotheca Hispana scriptorum incerti temporis*, pag. 262. idque colligitur ex eo, quod in *Themide* quater & quinquagies minimum vocatur *noster Nicolaus Antonius*, quo benevolo nomine etiam insigniuntur plurimi alii Cortesii amici, quos nullo modo cognovit Franckenau. Omitto eumdem Nic. Antonium sect. II. §. 1. appellari *Regiorum Romæ negotiorum gestorem*, quod etiam convenit tempori, quo scribebat Cortesius; non vero Franckenau, qui aut *regium consiliarium* nominare debuit, ut vocatur in fronte *Bibliothecæ veteris* posterius editæ; aut Nic. Antonii titulum iis verbis referre debuit, quæ legebantur in *Bibliotheca nova* excusa Romæ, cum illud munus gereret: quam Bibliothecam non viderat Cortesius, cum scribebat; ideoque exprimere non poterat ipsa Nic. Antonii verba: viderat autem Franckenau, & ad manum habebat.

Cum Ger. Ern. Franckenau expertus fuisset, se minime deprehensum in hoc plagio, par, immo majus facinus aggressus est, perpetravitque, cum anno M.DCC.XXIV. Lipsiæ suo nomine edidit *Bibliothecam Hispanicam historico-genealogico-heraldicam*, opportunam nactus occasionem utendi ut suis Cortesianis scriptis, quæ supplevit complevitque additionibus Lud. Salazarii, qui in hoc argumento multum eum adjuvare potuit: habuit enim bibliothecam genealogicis libris instructissimam, quorum, qui manu exarati, hodie conservantur in Madridensi monasterio Benedictinorum monachorum B. Mariæ Virginis Montis serrati. Certe inter Hanseniana M. SS. in fol. pag. 598. num. 40. hæc leguntur: *Bibliotheca genealogica Espano-*

*nola.* Opus est Matriti anno demum M. DCC. II. confectum, in quo *recensentur scriptores potissimi gentis Hispanicæ genealogici, non tantum typis editi, sed & in M. SS. asservati, num.* 239. *cum indice auctorum & familiarum.* Hic liber procul dubio est ille, quem Lud. Salazar & Castro misit Ehrencronio, cujusque meminit Franckenau num. 1071. his verbis: *Bibliothecam genealogicam adjicimus, seu recensum* 239. *scriptorum genealogicas Hispanas res exponentium, quem nostris per illustrem Ehrencronium iteratis precibus satisfacturus vir hicce humanissimus* (Lud. Salazar & Castro) *benevole nobiscum communicavit, quove* (forte legendum *quoque*) *nos strenue in hocce opusculo adjutos gratissime lubentissimeque agnoscimus.* Bonum factum, quod Franckenau fateatur, se multum debuisse huic Salazarii viventis libro; cum non ita se gessisset in Cortesii defuncti schedis; sed facere non potuit, quin multa vestigia veri auctoris permanerent, quod multis probationibus manifestum faciemus.

Num. 123. Nebrissensem vocat *nostrum*, quem non æque ac Cortesius, ut suum laudare poterat Franckenau, cum uterque esset Hispanus & ejusdem provinciæ, & ipse Nebrissensis Hispanorum omnium litteris vacantium communis magister.

Num. 287. post commemoratum Cl. viri Didaci Ortiz de Zuñiga *Theatrum genealogicum nobilium Hispalensium familiarum*, addit: *Quod tamen, ut ad umbilicum perducatur, vix ipse ob argumenti amplitudinem sperare audet auctor*, quasi, cum bibliothecam ederet Franckenau anno M.DCC.XXIV. adhuc viveret Ortizius, qui, cum Nic. Antonius scribebat caput 16. libri 10. *Biblioth. vet.* jam ad meliorem vitam translatus fuerat; natus enim fuit XI. Cal. Febr. anni M. DC. XXXIII. sepultus Hispali pridie Non. Sept. an. M. DC. LXXX. relictis multis ingenii sui monumen-

mentis, quæ postea perierunt fortuito domus suæ incendio. Parentes habuit Cl. virum Jo. de Zuñiga, & Eleonoram Ludovicam de Alcazar; uxorem Mariam Caballero, filios Jo. Ortiz de Zuñiga, Eleonoram Ludovicam, Mariam Hieronymam, & Annam Josepham, ut ipse meminit in *Discursu genealogico Ortitiorum Hispalensium.* Adde quæ idem scripsit in *Annal. eccles. & sæc. civitatis Hispalensis* ad annum M. DC. LXVII. Et, quo magis mireris, ipse FRANCKENAU CORTESIUM describens, inscius comprobat hoc ipsum num. 139. Scilicet CORTESIUS adversaria scribens, varie pro variis temporibus scribebat; & qui uno tempore vivebant, alio jam obierant: neque curabat, si quid aliter in *adversariis* suis scripsisset. Utrumque enim verum erat.

Sed quid conjecturis urgemus hominem aperte convictum? Num. 581. cum meminisset duorum codicum M. SS. operis inscripti: *El Conde Lucanor*, auctore Jo. Emmanuele Castellæ Infante, ita subdidit: *Possidet illud hodie* (loquitur de opere M. S. quod habuit Hier. Zurita) *eruditissimus*, ut ait, *Jo. Franc. Ustarroz.* At certum est, Ustarrozium obiisse die 18. Augusti M. DC. LIII. ut num. 764. ipse FRANCKENAU fatetur; vel, ut verius dicam, CORTESIUS, qui ubique prodit in hoc eruditissimo opere diligentiam suam procul dubio incomparabilem. Ideoque, etsi aliud argumentum non haberemus, ipsum opus probaret, ejus auctorem non potuisse esse virum exterum, recens advenam, paucis Hispanis notum; cum alia ex parte videamus, eum sibi arrogare, vidisse, explorasse & excussisse præcipuas Hispaniæ bibliothecas, non modo sui temporis, sed & præcedentis, hoc est, nusquam exstantes, veluti num. 1334. bibliothecam comitis ducis de Olivares, Gasparis de Guzman, qui decessit XI. Cal. Aug. an. M. DC. XLV. num. 687.

bibliothecam Did. de Arce Reinoso, qui obiit XV. Kal. Aug. an. M. DC. LXV. num. 194. bibliothecam comitis Moræ, Petri de Rojas, Madridii vita functi mense Aug. ejusdem anni M. DC. LXV. numm. 1277. & 1319. bibliothecam comitis Villæ Umbrosæ, Petri Nuñez de Guzman, qui decessit Madridii mense Nov. an. M. DC. LXXVIII. numm. 240. & 1350. bibliothecam Hieronymi Mascareñas, Segoviensis præsulis, qui Segoviæ obiit circa an. M. DC. LXXX.

Fateor, eum videre potuisse bibliothecam ducis Ucedæ, cujus meminit num. 630. sed præcedentia faciunt, ut ne hoc credam, uti nullo modo mihi suadere possum, vidisse illum numm. 187. 755. 863. 1148. commemoratam bibliothecam marchionis Mondexarensis, Gasp. Ibañez de Segovia, quem agnoscere potuit; quia decessit anno M. DCC. VIII. sed parum, aut nihil cum eo communicasse mihi videtur, cum de eo scribens anno M. DCC. XXIV. adhuc ejus mortem ignoraret, utpote n. 549. ait: *In vivis adhuc fuit anno M. DCC. IV.* Qui loquendi modus abnormis prodit etiam, quomodo scriberet FRANCKENAU, cum CORTESIUM non describebat. Et, licet quis dicere possit, FRANCKENAU videre potuisse catalogos memoratarum bibliothecarum: tamen, ut taceam hoc non bene accomodari ejus loquutionibus; hoc etiam difficile apparebit consideranti, luci publicæ, quod sciam, non fuisse commissos præter illum comitis ducis de Olivares, & Didaci de Arce & Reinoso, & comitis Villæ umbrosæ, omnes tres rarissimos.

Ad hæc n. 1411. sic ait FRANCKENAU: *Oropesanus comes, Castellæque senatus regii præses D. Emmanuel Joach. Alvarez de Toledo, qui hodienum eodem potitur* (loquitur de Steph. Garibaji *Thesauro genealogico*) sic inscripto: *De origine & progressibus, & illustrationibus dignitatum sæcularium Hispaniæ*; & cum FRANCKENAU *Biblio-*

*the-*

*thecam* ederet anno M.DCC.XXIV. duo affirmavit: alterum, eo ipso tempore esse Castellæ senatus regii præsidem comitem Oropesanum: cum tamen certum sit, illum desiisse esse præsidem ante Caroli II. obitum; ut refert Cl. vir Ant. Cajetanus de Sousa, clericus regularis in *Historia genealogica domus regiæ Portugalensis*, tom. IX. cap. 4. cui adde ipsum FRANCKENAU num. 145. Alterum, quod affirmavit, est, prædictum comitem possidere illud opus: quod verum est, si hoc referas ad tempus, quo scribebat CORTESIUS; non vero FRANCKENAU, cum Garibaji opus illud, quod habebat comes Oropesanus, ante multos annos distractum esset in varios dominos, uti narrat Lud. Salazar & Castro in libello, cui titulum fecit (agnosce scriptoris ingenium): *Satisfaccion de seda a cargos de esparto*, id est, *Spartearum rationum satisfactio bombycina*, num. 74.

Præterea nemo ignorat, multa officiorum publicorum nomina difficulter ex vulgaribus linguis in Latinam converti, propterea quod pleraque ex iis mera imago sunt præteritarum rerum; adeoque scire opus est, officiorum institutionem & finem. Aliquando vero nihil aliud necesse est, nisi vernaculam linguam intelligere modo, quo vel pueri solent, ut nomen aliquod Latine exprimatur. Quis igitur mihi suadebit, FRANCKENAU hominem exterum in quamplurimis officiorum munerumve publicorum nominibus Latine exprimendis id egregie præstitisse, quod paucissimi Hispani rerum suæ nationis bene periti, difficillime assequi possent; & eumdem num. 855. ignorantiam Hispanæ linguæ ita prodere? „*Espia mayor de Castilla*, qui obsoletus „hodie est honos, Latino sermone exprimi a me „nescius:“ scilicet Salazarius, cui hanc debuit notitiam (v. n. 856.) Latine non extulerat hoc nomen, ut qui Latine scribere nesciebat, cum videamus, eum in testimoniis ejus linguæ allegan-

dis

dis passim offendere, & notum omnibus sit, a Jo. Ferreras eximiæ probitatis viro illi fuisse objectum, ad ea intelligenda & alleganda solitum Salazarium uti quorumdam monachorum opera. Quid igitur in hoc casu interest scire, sitne in usu nomen illud, necne, ad Latine illud reddendum? cum solum agatur de intelligendo nomine *espia*, quod frequentissime occurrit in omnibus historiis, utpote idem est, ac Latine *explorator*: ut solum necesse sit verbum verbo reddere.

Sed me nihil æque movet ad hæc scripta vindicanda & restituenda Jo. Lucae Cortesio, quam horum librorum eruditio recondita, quæ manifeste prodit & plagiarium, & verum auctorem, *quocum* (ut Salazarius confessus fuit in epistola ad Ehrencronium) *certe sepulta est omnis eruditio Hispana*. Quamquam excipere debuit Salazarius marchionem Mondexarensem sibi invisum, etsi in studiis genealogicis doctorem ductoremque suum: qui vir maximus in epistola scripta ad Jo. L. Cortesium, qua illi dicavit * *Observationes* (quas habeo M.SS.) *ad antiquum Chronicon Alfonsi Regis cognomento sapientis*, sic sincere, vere & ex animo loquitur: *Hanc* (intelligit familiarem consuetudinem) *tecum firmiter retinui fere per annos XL. cum magna mea utilitate & fructu, quin neque antea, neque postea invenerim, qui possit non modo tecum certare, sed nec æquare te, nec in universalitate notitiarum, neque in regulari & justo judicio, quo distinguis certa a dubiis, veri similia aut probabilia a supposititiis & falsis*.

Sciant igitur plagiarii, præsertim operum maximorum virorum, nihil se admissuros, quod aliquorum oculos effugiat.

* Editæ jam a me sunt & Observationes & epistola una cum Alfonsi cognomento sapientis *Historia* a marchione Mondexarensi eruditissime scripta, Majansio egregium opus suppeditante, Madriti an. M.DCC.LXXVII. fol. I. vol. Cerd.

GRE-

# GREGORII MAJANSII J. U. C.
# *EPISTOLA*

## AD DOCT. JOSEPHUM BERNI ADVOCATUM,

*In qua plurima ad historiam juris Hispani spectantia erudite admodum pertractantur, e sermone Hispano in Latinum versa*

## A FRANC. CERDANO ET RICO.

FInis, quem tibi proposuisti, V. Cl. assignandi Justiniani *Institutionum* cum Castellæ legibus consensum, aut itidem dissensum, summa laude dignus mihi videtur: nec dubito, quin plansu ab omnibus ejusmodi labor excipiatur.

Ego quidem vellem, ut quam fieri posset breviter, perspicue ac simpliciter Justiniani sententiam subjiceres, ac juris utriusque inter se consensionem, aut e contrario discrimen absque verborum pompa, aut vanæ eruditionis ostentatione proponeres, memor te non magistrorum, sed tironum gratia id oneris suscepisse. Itaque sat erit digitum ad fontes intendere, unde doctrina omnis est haurienda.

In operis præfatione summa ope niti decet, ut vulgarem eorum eluas errorem, qui juri tum Romano, tum canonico plus quam par est & roboris tribuunt & auctoritatis. Et quoniam hac de re olim nonnihil me dicturum in me recepi, paucis pro instituti ratione id exsequar non invitus.

Principio quidem statuendum est, juris peritos, qui causam apud judices dicunt, leges tantum patrias afferre in medium debere: hos vero ad earum præscriptum sententias suas accomodare, cum Regum nostrorum, non exterorum legibus ac institutis simis obstricti, *l.* 12. *tit. I. Part. I.* Quare omnem operam atque diligentiam ponere debemus in corpore juris Hispani diurna nocturnaque manu

ver-

versando ac memoriæ mandando, atque iis præcipue legibus, quæ in usu sunt, cum non paucæ reperiantur, quæ vim olim obtinuere, sed postea antiquitatæ sunt, aut novis legibus aut moribus abrogatæ.

Generatim loquendo, qui legem usurpat in aliqua ex juris Hispani, quam late patet, collectionibus comprehensam, probatum id habet, quod sibi probandum sumserat, legisque usu se tuebitur, nam de legitimi principis aut legum latoris voluntate minime tunc licet dubitare, cum ea fini legum compilationes publica auctoritate sint concinnatæ, ut præ oculis ab omnibus habeantur, ac religiose observentur, ceu cautum est regia sanctione, quæ novissimo legum corpori præmissa est. Si qua vero lex in ea contenta antiquata est, ajenti probandi onus incumbit, legem priori adversam, aut consuetudinem in medium afferendo: sed diligenter cavendum, ne consuetudo cum non usu male confundatur. Illa enim cum longa, nec interrupta annorum serie inducta sit, legem abrogat antea latam; verum non usus, quæ mera est negatio, nec ullis innititur fundamentis, nullius est ponderis ac momenti. Igitur causarum patroni, quibus cordi est muneri suo satisfacere, nullam legum nostrarum collectionem debent prætermittere, quam non iterum iterumque manibus versent, & ad discendum sibi proponant, in id sedulo intenti, num earum aliquæ posterioribus legibus sint sublatæ.

Ad legum Hispanarum collectiones quod attinet, molesta fortasse res esset, attamen curiosa plane ac utilis omnes recensere, earumque initia ac progressus investigare, præsertim cum aliæ priscis illis temporibus pæne dicam neglectæ jacuerint, aliæ nec in unum corpus coaluerint, nec in lucem umquam prodierint, uti nobis testatum reliquit Philippus II. Rex in constitutione præmissa legum compilationi jussu ejus a viris doctis adornatæ.

Il-

Illud hic notasse sufficiat, Hispanos donec Romanorum imperio paruere, qui Municipes erant, legibus suis & suo jure usos, seu ostendit Hadrianus Imperator in oratione, quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuerat, in senatu habuit, referente A. Gellio *Noct. Attic. lib.* 16. *cap.* 13. Ceteri Romanis legibus obstricti erant, quarum pleræque adhuc supersunt in corpore juris civilis. Verum cum Isidorus 1 *lib.* 5. *cap.* 1. *Etymolog.* quas anno 626. exaravit, novas legum compilationes recensens postremum assignet locum *Codici Theodosiano* juris publici facto anno 438. vero non absimile videtur, eum in usu fuisse apud Hispanos: id quod etiam colligere licet ex ejusdem Theodosii *Novella* 35. Illud tamen in dubium verti potest, num Hispani codicem ipsum Theodosianum usurparint, an potius Aniani Gothi 2 *Breviarium* ex codd. Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano, ex Paulli sententiis, & Caji Institutionibus compactum. Floruit

¶¶

1 Isidori verba eo loci hæc sunt: *Leges novæ a Constantino Cæsare cœperunt, & reliquis succedentibus: erantque permixtæ & inordinatæ. Postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani Codicem factum constitutionum a Constantini temporibus, sub proprio cujusque Imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine* Theodosianum *vocavit.* Alvarus Gomezius, cujus sunt notæ in Etymologias, hæc ad verba illa: *Leges novæ a Const. Cæs. cœp.* habet: *Ant. Augustinus propter Theodosianas, inquit, constitutiones, quarum collectio ex christianorum principum constitutionibus constat: eoque volumine Hispania utebatur, non Justiniani codice sumto ex tribus codicibus, in quibus leges paganorum & christianorum continentur.* Cerd.

2 *Breviarium* hocce Alarici Regis jussu collectum est a Goarico comite ex laudatis codicibus, (subjecta interpretatione Gothica, qua de agit Jacobus Gothofredus *Proleg. Cod. Theodos.* cap. *6.*) & ab Aniano referendario A. C. 506. *editum*, hoc est, subscriptum aut confirmatum: id enim *edere* illis temporibus significabat, teste Du-Fresnio in *Glossario* ad hoc v. Proposita est gravissima iis pœna, qui in judiciis alia formula aliave lege uterentur, quam quæ in hoc corpore continebantur. Instituti totius rationem indicat *Commonitorium Breviarii* a Gothofredo editum *Proleg. C. Theodos.* cap. 5. Vide Jac. Sirmondi libellum inscriptum: *Quæstio triplex*, cet. & Brunquelli *dissert. de codice Theodos.* & Jo. Aug. Bachii *Hist. jurispr. Rom.* lib. 3. cap. 4. §. XIV. Idem.

ruit Anianus sub Alarico juniore, qui regni suscepit habenas Aera 521. anno J. C. * 482. obiitque Aera 544. an. 505. teste D. Isidoro in *Gothorum historia*. Scripsit laudatum *Breviarium* postridie Kal. Februarii anno, ex quo Alaricus rerum potiri coepit, vicesimo secundo, sive J. C. 505.

Minime prætereundum hic est, Barbaros, cum Hispaniam invasissent an. 409. ejusque provincias inter se fuissent sortiti A. 420. uti ostendi in *Præfatione* mea ad aureum marchionis Mondexarensis opus de *Aera Hisp.* simul cum imperio leges suas invexisse, quamvis certo non constet, quo anno vim habere cœperint. Gothi proprias habebant jam inde ab Eurico primo eorum legum latore, qui regnum adeptus est Aera 504. A. post C. N. 465. ac vivere desiit Aera 521. anno C. 482. ceu discimus ex Isidoro in *Goth. hist.* Leovigildus nonnullas Eurici leges emendavit, alias adjecit, inutiles amputavit, teste eodem Isidoro. Ceterum cum Gothi pauci numero essent, Hispani vero longe plures, iique tot jam sæcula Romanorum parere legibus assueti, hinc factum est, ut victores optionem darent victis, quibus vellent, legibus obsequendi, ceu colligi potest ex Cassiodoro *Variar. lib.* 1. *epist.* 1. & *l.* 3. *ep.* 4. & ex Gregorio Turonensi *Hist. Franc. lib.* 2. *cap.* 33. Id quod usque eo videtur perdurasse, donec, probe firmato Gothorum imperio, concinnatus est *Forus judicum*, seu, ut vulgo audit, *el Fuero juzgo*, qui hodiedum exstat, estque Gothorum Regum præstantissima legum collectio, Chindasvindi jussu adornata anno

re-

* Notandum hic est, Majansium in Aeræ Cæsaris supputatione marchionis Mondexarensis sententiam amplecti, qui eam XXXIX. annos Christi servatoris natalem præcessisse autumat in egregio opere vernacule scripto *de Aera Hispana* abs se edito Valentiæ anno 1744. fol. & luculenta præfatione adornato. Ceteri Hispani scriptores tantum non omnes XXXVIII. annos ex Aera Cæsaris demunt, ut numerum a Christo nato designent. CERD.

regni sui I. quod initium cœpit tertio Kal. Martii Aera 680. anno J. C. 641. Cui equidem Foro vim legum attribuit anno regni sui secundo ad XII. Kal. Novemb. Aeræ 681. A. C. 642. ceu apparet ex *lib.* 2. *ll. Visigothorum*, *tit.* 1. *l.* 1. quæ Chindasvindo tribuenda est, non Recesvindo, nec Recaredo, uti colligimus ex *ll.* 5. & 7. ejusdem *tit.* multoque minus Sisenando, quemadmodum legimus in versione Hispana id genus erroribus historicis scatente.

Mortuo Chindasvindo Kal. Oct. Aera 691. teste Vulsa, A. C. 652. easdem leges filius ejus Recesvindus compilavit, novasque adjecit. V. *leg.* 5. superius laudatam. Ceterum cum plurimas legum pristinarum retinuisset, auctorum nomina omisit, præterquam Sisebuti in *ll.* 13. & 14. *tit.* 2. *lib.* 12. *ll. Visig.* Postea vero aliæ leges accessere Vambæ, Ervigii, Egicæ, Witizæ. Atque hæc sunt, quæ de ortu & progressu *Fori judicum* ex probatis monumentis eruere potuimus.

Illud hic silentio prætereundum non est, Chindasvindum Romanas leges penitus abrogasse, ceterasque exterorum omnes *l.* 9. *tit.* 1. *lib.* 2. *ll. Visigoth.* Hujus vestigia pressit Recesvindus *l.* 5. ejusdem *tit.* Alfonsus Rex cognomento Sapiens legibus tantum *Fori Regii* locum esse voluit in judiciis *l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 1. deinde *Partitarum* legibus eamdem attribuit auctoritatem *l.* 15. *tit.* 1. *Part.* 1. & *l.* 6. *tit.* 4. *Part.* 3. Jacobus I. Aragoniæ Rex merito *Expugnator* dictus an. 1264. jus canonicum & civile e tribunalibus prorsus eliminavit *l.* 65. *Regior. privileg. civitatis ac regni Valentini.* Ex eo tempore nusquam amplius jus Romanum confirmatum est ab Hispaniæ Regibus, quin potius ejus abrogatio repetita *l.* 1. *Tauri* in *novam Compilationem* inducta *l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 2. Quod cum ita sit, misere allucinantur, qui jus Rom. legis vigorem apud nostrates habere comminiscuntur.

Igitur ut ad *Forum judicum* revertamur, is tamquam primus ac præcipuus juris Hispani fons multis ex causis est suspiciendus: in eo enim primæ continentur leges, quas accepit Hispania a suis Regibus & catholicis & indigenis: quarum equidem præstantia inde satis apparet, tum quod in conciliis, seu procerum ac præsulum comitiis maximam partem sunt latæ, *l. Quoniam* 5. *tit.* 1. *lib.* 2. *ll. Visig.* tum quod antiquissima est omnium hæc legum collectio, queis Hispani fuerunt obstricti. Muzarabes eas Toleti observarunt teste Petro Lopezio Ajalæo *cap.* 18. & 19. * *Chron. Petri Regis* ad annum imperii ejus II. Alfonsus III. cognomento Magnus novum eis robur addidit atque auctoritatem, si fides habenda est Aegidio Zamorensi in libro *de præconiis Hispaniæ tract.* 7. Idem præstitum est ab Alfonso V. Aera 1041. uti narrant Pelagius Ovetensis episcopus, ac Rodericus præsul Toletanus. Concilio Cojancensi Aera 1088. celebrato etiam hæ leges probatæ. Quibus & Catalanos usos scimus, etiam posteaquam Raimundus Berengarius Barcinonis comes, & Almodis conjux *Usaticos* condidere an. 1060. ceu apparet ex *constitutione* 2. *tit.* 6. *de proœmiis lib.* 1. *constit. Cataloniæ superfluarum.* Ferdinandus III. cui Sancti nomen adhæsit, Aera 1274. qua ex Annalibus Complutensibus ac Toletanis posterioribus Cordubam captam addiscimus, leges has urbi illi observandas tradidit in patrium sermonem conversas, ceu videre est in foro Cordubensi, qui ibi in conventu D. Paulli autographus asservatur: unde apographum sibi exemplar comparavit Jos. Bermudezius juridici conventus Vallisoletani præses meritissimus, id quod testatur in libro vernacule exarato sub hac inscriptione: *Regalia del aposen-*

*ta-*

* V. pag. 62. & 64. elegantissimæ editionis superiori anno in hac officina adornatæ. CERD.

*tamiento de corte* p. 12. atque ex eo hæc adducit verba: „ Aun establezco e mando, que el libro „ juzgo, el qual yo daré a los de Cordova, sea „ trasladado en Romance, y sea llamado *Fuero de* „ *Cordova*, con todas las cartas sobredichas, e a- „ queste sea por todos siglos fuero de Cordova: “ i. e. *Præterea statuo ac decerno, ut liber judicum, quem Cordubensibus perscribam, in linguam Hispanam vertatur, ac* Forus Cordubæ *vocetur, adjectis constitutionibus superius memoratis, sitque in perpetuum Forus Cordubensis.* Hinc perdifficilis illa oritur quæstio, quæ juris scientiam profitentibus negotium solet facessere, non vero historiarum cultoribus, qui de temporum ordine magis sunt solliciti, num in negotiis quotidie emergentibus major habenda sit ratio Latini operis, an ejus versionis, cum Forus judicum Latine alibi, alibi scriptus vernacule, fuerit admissus? Cui difficultati non leve pondus addit summa tum exemplarium Latinorum, quæ circumferuntur, inter se discrepantia, quam sollerter deprehendit Ambr. Morales, quem vide *lib.* 12. *cap.* 20. *Chronici Hisp.* tum Hispanarum versionum diversitates, quarum meminit doctor Bern. Alderetus, ecclesiæ Cordubensis canonicus, V. Cl. *lib.* 2. *de ling. Hispanæ originibus cap.* 2. ubi turpiter lapsus est in designando anno, quo Forus judicum patrio sermone donatus est. Ac forte, quoniam tam sero Forus judicum vernacule translatus est, quod rudissimis illis temporibus Latine tantum circumferretur, inde factum est, ut fere in desuetudinem abierit: nam in plurimis Castellæ oppidis, aut solum in judiciis usurpabantur antiqui fori, qui eis dabantur, cum primum conderentur, aut in ditionem redigerentur, ceu testatur Alfonsus Rex sub initium *fori Regii*; aut Regum rescriptis, quæ *Hazañas*, aut arbitrorum sententiis, quas *Alvedrios* vocabant, pro legibus utebantur. Sed ut, quæ de causis diximus

¶¶ 3 ma-

maximæ Fori judicum auctoritatis, absolvamus, licet demus hanc legum Hispanarum collectionem posterioribus aliis abrogatam, negari tamen non potest, haud paucas illius leges cum novissimis omnino consentire: qua in re demonstranda diligenter admodum versatus est Alfonsus Villadiegus non contemnendus Fori judicum commentator.

Secundus Hispani juris fons est *Forus Castellæ vetus* (*Fuero viejo de Castilla*) Alfonsi regis, qui bello apud Ubedam strenue gesto victor ex hostibus evasit, jussu concinnatus, & ex historiis, optimis foris ac moribus expressus. Vocatur *Forus vetus*, ut a *Foro libri conciliorum Castellæ*, vulgo *Foro regio*, cujus Alfonsus prioris pronepos, cognomento Sapiens, condendi auctor fuit Aera 1293. distinguatur. Utriusque fori expressa fit mentio in præfatione Fori equitum, quos *Hijos-dalgo* appellamus: quam, quoniam plurima continet scitu digna, huc transcribam desumtam ex M. S. exemplari, quod inter Nic. Antonii schedas asservatur, si prius monuero, parum id discrepare ab eo, quod in duo disjectum frusta in lucem protulit Dormerus in *Progress. hist. in Regno Arag.* p. 2. & 250. Ecce illam. „Aera anni M. CC. L. ipso Innocentium die, Alfonsus Rex, qui prælio victor evasit ad Ubedam, „una cum uxore sua Eleonora regina Castellæ conciliis confirmavit diplomata omnia ac privilegia, „quæ non tantum ab antiquo illo Alfonso Rege, „qui Toletum expugnaverat, sed etiam, quæ ab „Imperatore, quæque a se ipso fuerant illis tributa. Idque actum est in Burgensi nosocomio testibus D. Henrico Infante, D. Berengaria Legionis Regina, D. Ferdinando Infante, D. Adefonsa de Molina una cum filiis suis, D. Eleonora Infante, D. Gonzalo Ruizio Girone primario Castellæ œconomo, Gonzalo Fernandezio summo Reginæ œconomo, Guillelmo Perezio „& Fernando Latrone. Sub idem tempus Rex pro-

„ce-

„ ceribus (*Ricos-hombres*) Castellæ equitibus (*Hi-*
„ *jos-dalgo*) id oneris imposuit, ut historiarum
„ monumenta, probos foros, laudabiles consuetu-
„ dines, ac æquas majorum sententias: quæ ad
„ id temporis viguerant, diligenter excuterent, quæ
„ omnia litteris consignata ad se deferrent, ut quæ
„ emendationem desiderarent, ipse emendaret; quæ
„ vero recta ac reip. salutaria essent, confirma-
„ ret. Et quamvis ab eo tempore nullum non mo-
„ vit lapidem Alfonsus, ut ad optatum finem opus
„ perduceretur, res tandem mansit in eodem statu:
„ quo factum, ut forus iste, qualis in hoc libro
„ continetur, ac prudentum sententiæ in foro ac tri-
„ bunalibus vim suam retinerent, donec Alfonsus
„ Rex prioris pronepos, ac nobilissimi regis Fer-
„ dinandi, qui Hispalim expugnavit, filius, *Fo-*
„ *rum libri* tribueret Castellæ conciliis, quo anno
„ Eduardus Enrici Angliæ Regis filius natu ma-
„ ximus ac regni heres solemni ritu equestria sus-
„ cepit insignia ab ipso Alfonso Burgis, Aera nem-
„ pe anni 1293. Atque huic libro suus mansit ho-
„ nos atque auctoritas ad divo Martino diem sa-
„ cram, seu, quod idem est, ad III. Iduum No-
„ vembris Aera anni 1310. Eo enim tempore pro-
„ ceres equitesque ab Alfonso Rege petiere, ut
„ eosdem Castellæ foros sibi impertiretur, quos
„ habuerant sub Alfonso ejus proavo, ac sub Fer-
„ dinando ejus parente, quibus foris & ipsi & i-
„ psorum clientes, ceu fieri antea consueverat, ute-
„ rentur. Facile Rex annuit illorum votis, jussitque
„ Burgensibus, ut forum veterem, ceu moris olim
„ fuerat, ad causas decidendas adhiberent. Postea
„ vero Aera anni 1394. regni habenas moderante
„ Petro Alfonsi filio, ejus, qui ad Tarifam Bena-
„ marinum ac Granatensem Reges prælio supera-
„ vit, III. Kal. Nov. Aera an. * 1378. Algeciram

¶¶ 4 „ ex-

* Legendum M. CCC. LXXVIII. nam prælium ad Tarifam gestum est, teste Petro Lopezio Ayalæo in *Chron. Petri Regis* an. 1. cap. 1, feria secunda 3. Kal. Nov. MAJ.

„ expugnavit VIII. Kal. April. Aera anni 1382. „ obiitque Idibus Martii Aera 1388. cum Calpem „ obsessam teneret. Adornatus est hic Forus & in „ quinque libros distributus, subjectis cuique va- „ riis capitibus, quo facilius ac minori cum tædio, „ quidquid ibi continetur, posset deprehendi.“

Alfonsus Rex Sapientis nomine insignis *Chronici* cap. 9. *Forum regium* quinquennio post fuisse conditum asseverat. Cujus hæc sunt verba: „ Al- „ fonsus Rex, imperii sui anno VIII. Aera scilicet „ * 1298. A. C. N. 1260. ut sacras addisceret lit- „ teras, eas e Latino in vernaculum sermonem cu- „ ravit transferri: paullo post Forum legum con- „ cinnari, in quo magna pristini juris pars velut in „ nucleo exhibetur, eumdemque pro lege, jure ac „ foro Burgensi tribuit civitati, aliisque Castellæ ur- „ bibus ac oppidis. Nam Legionense regnum Fo- „ rum judicum retinebat Toleti a Regibus Gothis „ elaboratum.“

Certe Alfonsus Sapiens forum dedit variis civitatibus oppidisque: & quidem prius, quam *Forus regius* concinnaretur, oppido Alarconensi Aera 1292. Aquilarensi eodem anno, quo laudatus prodiit forus, Aera nempe 1293. pridie Id. Martii: post emissum forum, oppido Scalonensi, III. Non. Martii Aera 1299. Hispali, ubi tunc aderat. Undecimo regni sui anno Aera 1301. *Forum regium* Nebulæ tribuit, quod oppidum omnium primum captum est a Rege anno imperii sui quinto, Aera 1295.

In *lege* 3. *tit*. 1. *lib*. 2. *Novæ legum Compilationis* altum de foro, quem Petrus Rex conficiendum præceperat, est silentium. Ceterum mentio fit legis ab Alfonso XI. Compluti latæ Aera 1386. quæ quarta est ordine *tit*. 4. *lib*. 1. *Regiarum Ordinationum* (*Ordenanzas reales*) ubi *Legum forus*

* Male hic, uti & alibi sæpe Alfonsi *Chronicon* annos Incarnationis dominicæ cum annis nativitatis confundit. Unde dicere debuisset: *Anno M. CC. LIX.* Maj.

*rus* confirmatur præterquam in iis, quæ rectæ rationi, Dei præceptis ac novissimis legibus adversentur.

Tertius juris Hispani reliquis longe copiosior ac utilior fons est *Septem Partitæ*, quas primum meditatus est sanctus ille Rex Ferdinandus, ceu ex earum præfatione addiscimus. Sed integra rei conficiundæ gloria Alfonso ejus filio servabatur. Hujus enim jussu jacta sunt prima operis immortalis fundamenta ipso divi Jo. Baptistæ pervigilio anno imperii sui IV. Aera 1293. ac demum septem post annos magnæ huic moli finis est impositus Aera 1300. Quamquam vim legum hic juris thesaurus non obtinuit, nisi cum longo post tempore dias in luminis auras missus est, & ad observandum propositus ab Alfonso XI. Aera 1386. quemadmodum videre licet in *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *Regiar. Ordin.* (*Ordenanzas reales*) & *l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 2. *Novæ compilationis.* Editæ sunt *Partitæ* vernaculo sermone, & quidem, prout tunc erant tempora, elegantissimo. Unde mirari satis non possum doctoris Alf. Villadiegi temeritatem, qui in suis *ad Forum judicum animadversionibus* p. 7. vocare non dubitavit *Partitarum* ac *Fori regii* dictionem *subobscuram* & *hispidam*, cum e contrario & apertissima sit & mire castigata. In quo sane injurium se gessit in duo præstantissima Hispanæ juris prudentiæ monumenta: nam *Fori regii* libri quatuor ad instar se habent elementorum, *septem* vero *Partitæ* juris Hispani *Pandectæ* merito possunt appellari. Utrumque opus sæpe insequentibus temporibus novis Regum nostrorum decretis confirmatum est: de quibus dicere in præsentiarum non vacat.

Regibus Catholicis Ferdinando & Elisabethæ, numquam satis pro merito laudandis principibus, debemus *Legum ac regiarum Castellæ Ordinationum* compilationem, quas postmodum *glossis* exornavit doct. Did. Perezius, venia sibi ad id præstandum data a Carolo V. Imp. 4. Non. Martii an.

1556.

1556. Quæ quidem *glossæ* a Cl. viro licentiato Arrieta, ante quam ederentur, approbatæ fuere, ut testatur Perezius ipse in operis præfatione.

Joanna Regina cum Tauri adesset, Idibus Martii anni 1505. celeberrimas condidit leges, quæ nomen ab illo oppido sunt mutuatæ, atque hodiedum retinent.

Philippus Rex hujus nominis II. negotium primum dedit doct. Petro Lopezio Alcocerio, advocato Vallisoletano; post ejus obitum doct. Escudero in supremo concilii ac cameræ dicasterio senatori; eo etiam e vivis sublato, Lic. Petro Lopezio Arrietæ senatori; ac demum post hujus fata Lic. Barthol. Atienzæ itidem senatori, ut ex omnibus superius laudatis juris collectionibus, regiis constitutionibus & senatus consultis (*Acuerdos*) post id tempus editis *novam Compilationem* effingeret: quæ cum feliciter ad exitum perducta fuisset, in lucem prodiit regia auctoritate munita pridie Id. Maii an. 1567. cautumque etiam est, ne aliæ deinceps leges usurparentur, quam quæ in hunc codicem sunt relatæ: legibus tamen *septem Partitarum* ac *Fori* eadem mansit auctoritas, quæ Taurina constitutione ipsis attributa est.

Philipus IV. Rex locupletiorem fieri jussit *Compilationem*, in qua suis locis insertæ sunt leges ab anno 1567. ad 1646. editæ.

Hujus pressit vestigia Philippus V. qui anno 1723. mandavit, ut *Novissima legum compilatio* adornaretur, cui leges ac constitutiones regiæ ad suam usque ætatem latæ sunt adjectæ. Nova hujus operis paratur editio utilissimis notis adaucta. Atque hæc de legum nostrarum compilationibus dixisse sufficiat: nunc ad reliqua pergamus.

Leges in his collectionibus comprehensas, quæ posterioribus abrogatæ non sunt, aut contrariis moribus invalescentibus in desuetudinem non abiere, judices omnes se servatum ire sacramento adacti

con-

confirmant. Vide *l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 1. *Fori regii*, *l.* 6. *tit.* 4. *Part.* 3. quapropter legitima in contrarium consuetudo adduci non potest absque supinæ ignorantiæ nota, *leg.* 2. *tit.* 1. *lib.* 2. *Nov. Compil.*

Sed quoniam ad hunc locum perventum est, non possum non damnare ubusum late dominantem, ac cui obviam iri necessum est, allegandi jus Rom. mere *positivum*, quodque ab Hispano minime sit confirmatum, cum tantum leges patriæ tum in civilibus causis, tum in criminalibus a jure consultis debeant in medium produci, & a judicibus suscipi & ad observandum proponi, quoniam a Regibus Hispaniæ sancitæ sunt ac promulgatæ justis ac legitimis legum conditoribus. Contra ea nullius sunt momenti, quæ a nostris principibus latæ, postmodum abrogatæ sunt: nam leges posteriores prioribus vim detrahunt, *l. ult. de Constit. princ.* Atque ad hanc libram examinanda est tum juris civilis ac pontificii, tum etiam interpretum auctoritas. Quod ut facilius possit intelligi, age, distinctius atque enucleatius rem pertractemus.

Ad jus civile quod attinet, negari haud potest, quamdiu Hispania sub Romanorum ditione erat, suos agnovisse legum latores aut Municipia, quæ hanc sibi facultatem sive ex jure gentium, sive pactis vindicabant, aut Imperatores ipsos utpote supremos principes. 1 Ceterum ex quo Hispania potiti sunt Gothi, tum ipsis, tum ipsorum successoribus & novas leges condere & Romanas abolere fas erat: ac posterius quidem præstitum est a Chindasvindo *l. Alienæ gentis* 9. *tit.* 1. *lib.* 2. *ll. Wisigot.* male in versione Hispana tributa ejus filio Reccesvintho, qui jus etiam Romanum sustulit, & codicem a patre suo imperii anno secundo editum confirmavit *l. Quoniam novitatem* 5. *tit.* 1. *lib.* 3. (quæ in vernacula Fori judicum translatione exstat *l.*

1 *Lege* 12. *tit.* 1. *Part.* 1.

1. *tit*. 1. *lib*. 2.) mulctamque XXX. librarum auri fisco persolvendam iis indixit, qui librum alium legum pro quocumque negotio in judicio offerre tentaverint, *l. Nullus prorsus* 10. (9. in Hisp. versione) *tit*. 1. *lib*. 2. *ll*. 2. *Visigot*.

Jacobus Aragoniæ Rex cognomento *Expugnator* etiam e tribunalibus jus civile Romanorum exsulare jussit, ceu antea jam diximus: ex quo tempore a nullo amplius ex Hispaniæ principibus confirmatum est. Id tantum datum reperimus, ut exterorum leges, quæ, cum nostratibus conveniant, a jure consultis adducantur, itemque ut in academiis jus civile juvenibus prælegatur, quo eruditiores evadant. Primum hujusmodi veniæ vestigium deprehendimus in *l*. 5. *t*. 6. *lib*. 1. *Fori Regii*, cujus en verba: *Annuimus ac concedimus, uti quisque alias etiam aliorum leges addiscat, ut majorem sibi comparet eruditionis apparatum: prohibemus tamen, ne illas sive in consulendo, sive in litibus decidendis adhibeat, quin potius eis tantum sibi parendum esse sciat, quæ in hoc libro continentur, ac populis ditioni nostræ subjectis tradimus, ac præcipimus observandas: qui secus fecerit, quingentos solidos Regi persolvat. Siquis autem legem protulerit, quæ nostratibus plane respondeat, aut majorem afferat lucem, nec id prohibeatur, nec mulctam luat*. Rursus jam dictæ permissionis mentio fit in *l*. 4. *tit*. 4. *lib*. 1. *Regiarum Ordinationum*, in qua Alfonsus XI. Compluti agens Aera 1386. hæc ita præscripsit: *Bene tamen patimur ac volumus, ut juris volumina a veteribus sapientibus composita ac in ordinem digesta in publicis academiis imperio nostro subjectis explicentur, tum quia multam utilissimamque in iis reperire licet sapientiam: tum etiam ut nostri clientes doctiores fiant, atque hac via gradum sibi parent ad honores ac dignitates adipiscendas*. His egregie consonant, quæ a

Joan-

Joanna Regina in *Taurinis* constitutionibus Idibus Martii A. D. 1505. editis præscripta sunt *l.* 1. quæ 3. est *tit.* 1. *lib.* 2. *Nov. Compil.*

Ex dictis satis luculenter apparet, jus Rom. qua tale, nequaquam vim legis obtinere apud Hispaniæ tribunalia. Sed ut hujus assertionis veritas clariori luce affundatur, distinctius rem explicemus.

Jus Rom. constat præceptis ex jure naturæ, ex jure gentium, ac denique ex jure mere civili desumtis, §. ult. *Instit. de jur. nat. gent. & civ.* 1 Quæ ex jure naturali aut gentium derivata sunt, ambabus ulnis amplecti debemus, non quod a jure Rom. confirmata sint & pro suis admissa, sed quod ex jure naturæ ac gentium descendant, quæ jura apud omnes gentes peræque custodiuntur, princ. *Instit.* §. *Jus autem* 1. §. *Sed naturalia* 11. *de Jure N. G. & C.* firmaque semper ac immutabilia permanent, nec abrogari possunt, eod. §. *Sed naturalia.*

Ad juris civilis præcepta quod attinet, aut ea juris nostri auctoritate firmata sunt, aut abrogata, aut demum silentio prætermissa. Si primum, amplectenda sunt, propterea quod a nostris principibus admissa, facta sunt propria: si alterum, nullam plane vim habent, cum, inductis novis legibus, ob-

so-

1 Hujus juris, seu legis naturalis vim nemo elegantius explicavit, quam Cicero lib. 3. *de Rep.* apud Lactantium *divinar. Instit.* lib. 6. cap. 8. „ Est quidem vera lex recta ratio, „ naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; „ quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ nec probos frustra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas „ est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per senatum, aut per populum „ solvi hac lege possumus: neque est quærendus explanator, „ aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister & imperator „ omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi „ cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. “ Gerd.

soleverint: si denique tertium, nulla plane legum Rom. habenda est ratio, utpote non semel abrogatarum. Quare tunc jure, quod sequamur, destitutos confugere opus est ad legum latorem, *l.* 1. *l. Lege* 9. *l. ult.* §. *Cum igitur* 1. *Cod. de legibus*, *l. Tanta* 2. §. *Sed quia* 18. *C. de vet. jur. enucl. l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *Regiar. Ordinat. l.* 1. *Tauri. l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 2. *Nov. Compil.*

Hæc a nobis allata discrimina, quæ in jure Rom. reperiuntur, si rite perpendantur, facile apparebit, unde tantam sibi tum apud Hispaniæ, tum apud omnia fere Europæ tribunalia vim atque auctoritatem conciliaverit. Nam cum ex jure naturæ aut gentium ut plurimum derivatum sit, fieri non poterat, quin hac in parte sanctum inviolatumque perpetuo maneret, licet toties abrogatum, §. *Sed naturalia* 11. *Instit. de jure N. G. & C.* Quemadmodum justissima Mahumedis Alcorani prohibitio ad præcepta juris naturæ aut gentium in eo contenta porrigi haud debet.

Idem dictum esto de principiis quibusdam singularibus, quæ a veteribus jure consultis magno ingenii acumine magnaque dexteritate ex juris naturæ ac gentium fontibus derivata sunt, & ab Imperatoribus maturo judicio declarata & in leges inducta, nam principia illa quidem vim suam omnem a jure universali mutuantur. Et licet præcepta juris civilis in universum sint abrogata, multa tamen e jure Rom. in nostrum fuisse admissa utrumque inter se comparanti clare apparebit. Inde fit, ut quæ de legibus Rom. a nostratibus approbatis diximus, ad res etiam particulares in iisdem contentas transferre liceat. Atque hinc facile quis æstimabit, quantum Romanorum juris consultorum, quos *Sapientes* vocat Alfonsus & ipse sapiens, responsis merito fuerit tributum.

Diximus, leges Romanas magno numero in Hispanas collectiones fuisse illatas: id quod ex *Foro*

*le-*

*legum* apparet, & diligenter notatum est ab ejus interprete Alfonso Diazio Montalvo. Ipse etiam Alfonsus Rex tum in præfatione 1. *Partit.* tum in *ll.* 2. & 6. *tit.* 1. *Part.* 1. multum se adjutum fatetur jure Rom. in condendis *Partitis*, quæ maxima est ac præstantissima juris Hispani portio. Atque hæc de vi & auctoritate juris Rom. interna, quæ ratione naturalis æquitatis innituntur legum latoris calculo probata. Si vero loquamur de externa auctoritate, quam ei tribuit frequens tum in foro, tum in scholis usus, plurimum ei splendoris ac dignitatis accessisse ex iis, quæ dicturus sum, abunde constabit.

2 Romanis rerum potientibus, viguit jus civile in omnibus terrarum orbis regionibus, quæ Romano parebant imperio, etiam post Justiniani tempora. Ceterum cum scholæ publicæ raræ essent, nam tres tantum numerabantur, Romæ, *l. Si duas* 6. §. *Legum vero* 12. *de excusat. tit. C. de studiis gener.* Constantinopoli, dicto *tit. C.* & in præfat. *de nov. Cod. fac.* §. *Ideoque* 1. ac demum 3 Beryti, *l. tanta* 2. §. *Quæ omnia* 9. *C. de vet. jur. enucl.* cumque barbaries ac ruditas omnia longe lateque occupassent, magna tum discentium, tum docentium erat penuria.

Primus fuit Pepo, qui post Justiniani collectionem juris prudentiam professus est in Italia, ubi eam

1 Merito Alfonsus Justiniani illud *l.* 1. §. *Sed neque de vet. jur. enucl.* usurpare potuit: *Omnia nostra facimus, quibus constitutionem nostram impertimus.* Quo etiam effato Bonifacius utitur *c.* 22. *de Præb. in 6.* CERD.

2 Juris Romani laudibus plena sunt omnia. Vide quæ huc spectantia collegit Arthurus Duck ll. D. *lib.* 1. *cap.* 2. aurei libelli *de usu & auctoritate jur. civ. Romanorum in dominiis Principum Christianorum.* Lugd. Batav. Elsevir. 1654. 12. ID.

3 Jo. Strauchius J. C Salanus, eruditione vir præstanti, integram impendit dissertationem illustrandæ Berytensi scholæ inscriptam: *Berytus, seu ad tit. Cod. de metropoli Beryto,* quæ cum aliis *dissertationibus academicis* edita est ab auctore Jenæ an. 1623. in 4. ID.

eam edocuit Bononiæ, sed pæne inglorius, sive ob sterilem hominis doctrinam, sive ob auditorum paucitatem, sive, quod verius est, ob utrumque. Insequentibus temporibus sub Mathilde comitissa, quæ vivere desiit anno 1115. Irnerius, Germanus, qui jus civile [1] Constantinopoli didicerat, scholas aperuit Bononiæ: tantaque ad eum confluxit multitudo, ut brevi juris civilis studium florescere cœperit, ac in varias dissitasque Europæ provincias per ejus discipulos propagari. [2] Gratianus in Thuscia natus, ac Bononiæ S. Proculi regulam monasticam amplexus, haud parum juris civilis gloriam promovit, multis ex eo in suum *Decretum* immissis, quod [3] anno 1151. in lucem editum quam ocissime per universum christianum orbem propagatum est. Placentinus in Galliam, Rogerius in Angliam, alii illud in alias provincias invexere.

Frequens erat, ut ad magistratus eveherentur, qui studiis operam navarant apud Bononiam, celeberrimum tum temporis Europæ lycæum: &, quia vulgare est, ut, quod quisque addidicit, id semper in ore ferat, ac summis laudibus extollat, fieri non potuit: quin juri Rom. magnam illi auctoritatem studerent conciliare. Itaque primum illo uti temperate, ac forte ob affectationem, deinde ob imitationem, denique ob late jam invalescentem consuetudinem: eoque sensim perventum est, ut in condendis tabulis formulas e jure Rom. petitas anxie ac superstitiose aucuparentur.

Sed inter omnes legum latores nemo plus aucto-

1 V. Innoc. Cironius *Observ. jur. can.* lib. 5. cap. 5. Cerd.

2 Gratianus patria Clusinus e Thusciæ civitate, ut communis auctorum fert sententia, regulam Benedictinorum professus est. Canonibus colligendis Bononiæ insudavit, ut quidam volunt, in monasterio D. Felicis, quod probat quoque Epitaphium in æde illa repertum, quod affert G. Pancirollus *de claris ll. interpret. lib. 3. cap. 2.* ut alii, in D. Proculi cœnobio. V. Ger. Von Mastricht *Hist. jur. can. & pont. n.* 299. Id.

3 V. Laudati Mastricht historiam n. 430. Id.

ctoritatis tribuit juri Rom. quam Alfonsus & re & nomine sapiens, prius in *Foro regio*, deinde in *Partitis*, uti ipse testatur *Part.* 1. *tit.* 1. *l.* 2. & 6. Procedentibus temporibus Adfonsus XI. Aera 1386. passus est, ut jus civile publice in scholis prælegeretur, non ut in judiciis robur ullum obtineret; sed ne jaceret neglecta nobilissima hæc scientiæ moralis ac civilis pars, *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *Regiar. Ordinat.* & *l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 2. *N. Compilat.* Sed cum ab eo tempore ad nostram ætatem nusquam jus Romanum a nostris principibus fuerit approbatum, non est quod de ejus abrogatione amplius dubitemus.

Itaque certum fixumque maneat, jus Romanum, qua parte ex jure naturæ & gentium derivatur, eamdem perpetuo vim auctoritatemque sartam tectamque conservasse, ceteris in rebus plane nullam, nisi quam a legibus aut moribus patriis mutuatus fuerit. Quare ubi alterutrum desit, exsulare debet a foro ac judiciis.

Ad jus canonicum quod attinet, facile ex hucusque dictis erit sententiam pronuntiare: nam vel leges Pontificiæ de rebus agunt sacris, aut, quod eodem recidit, animarum salutem spectantibus, aut cum illis conjunctis; vel de profanis & temporalibus. Si de prioribus, servandæ omnino sunt, quoniam conciliorum generalium ac summi Pontificis est leges ecclesiasticas condere, *tit. de Constit. earumque divis.* In hunc sensum accipiendam puto facultatem, quæ jure consultis tribuitur afferendi jus Rom. ac decretales epistolas *l.* 4. *tit.* 16. *lib.* 2. *Nov. Compil.* dum in foro conciones habent, aut sua de jure responsa litteris mandant. Atque hoc pacto minime contraria deprehendetur regiæ constitutioni novissimo juris Hispani corpori præmissa, qua cavetur, ne judices alias in causis dijudicandis adhibeant leges, quam quæ ibi continentur, & quæ in prima Tauri lege memorantur.

Si vero leges Pontificiæ de rebus agant profanis

aut ad jurisdictionem temporalem pertinentibus; nullius apud nostrates sunt ponderis, cum nec Hispania summi Pontificis ditioni subjaceat, nec eum hac in parte legum latorem agnoscat, *Part.* 1. *tit.* 1. *l.* 12. Ceterum negari non potest, jus canonicum omnia fere naturæ ac gentium præcepta complecti, plurimosque ejus canones in Hispanam juris prudentiam traductos, & præcipue in *Septem Partitas*, quod Alfonsus ipse earum conditor testatum reliquit *l.* 6. *tit.* 1. *Part.* 1.

De juris interpretibus quæ mea sit sententia, paucis aperiam. Si, qualis quantaque sit eorum auctoritas in judiciis, quæratur, nullam profecto esse haud cunctanter pronuntio. Etenim quæ 1 veteribus J.Ctis delata est, posteaquam 2 Octavianus Augu-

1 Quæ de veterum jurisconsultorum auctoritate hic dicuntur, juvat paulo latius explicare. Vocabantur hi proprio quasi nomine *Prudentes*, quod in atriis & scholis prudentiam primo loco profiteri studerent. *Responsa* juris consultorum jam sub libera rep. velut oracula totius civitatis suscipiebantur. Aucta est supra modum eorum auctoritas sub principibus, cum aliud fere non essent rescripta, quam juris consultorum responsa, quæ libellis principi oblatis inserebantur, *l.* 14. *C. de præd. min. l.* 12. *C. de legat. l.* 6. *C. de nupt.* juncta *l.* 65. §. 1. *D.* eodem. Unde & *jura condere* & *juris auctores* passim dicuntur *l.* 17. *D. de jure patr. l.* 120. *princ. de V. S.* aliis. Eorumque ratæ sententiæ nomen *constitutionum* ferunt *l.* 2. §. 5. *de O. J. l.* 91. §. 3. *D. de V. O. l.* 36. *D. de statulib.* quoniam quæ ab ipsis definita erant, plerumque in legem transibant. Stante rep. judiciorum privatorum fortuna in Jctorum prudentia sita fuit, ut tamen judicibus ab eorum sententiis recedere liceret. Cicero in *Top. cap.* 17. & *pro Muræna cap.* 13. Ceterum ex quo Cæsar Augustus instituit *l.* 2. §. 47. *de O. J.* ut ex sua auctoritate responderent, non minus quam leges eorum responsa valebant, etsi nulla ratione essent munita. Seneca *epist.* 94. Demum speciem quamdam juris scripti constituere, postquam Theodosius junior & Valentinianus III. in *l. un. C. Theodos. de resp. prud.* quorumdam scriptis legis auctoritatem dederunt. Cerd.

2 Massurium Sabinum magni ingenii magnæque auctoritatis virum floruisse reperio sub Ti. Imperatore, a quo veniam impetravit publica auctoritate de jure respondendi: *nam ante tempora Augusti publice respondendi jus non a principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, neque responsa utique signata dabant; sed plerumque judicibus*

gustus in Massurii Sabini gratiam edixit, ne judici liceret ab ea recedere sententia, quam aut omnes, aut major eorum pars in rebus dubiis calculo suo approbassent, *l. Necessarium* 2. §. *Post hunc* 47. *v. & ut obiter, de O. J.* interjecto tempore desiit, §. *Responsa* 8. *Instit. de J. N. & G.* eamque sibi ipsis Imperatores attribuere, præterea nemini, *l.* 1. *l. Leges* 9. *l. Si imperialis* 12. §. *Cum igitur* 1. *C. de leg. l. Tanta*, *Sed quia* 18. §. *C. de vet. jur. enucl.* Quid legibus 1 *Visigothorum*, *Fori regii*, *Regiarum Ordinat. Tauri*, ac *novæ Compilationis* cautum sit, superius a nobis traditum est: nempe iis solis standum, ita tamen ut posteriores prioribus anteferantur.

Quod cum ita sit, mirari satis non possum quorumdam legulejorum temeritatemne dicam, an supinam ignorantiam, qui leges ipsas consulere indignantes, toti sunt in interpretum indicibus, aut epitomatis pervoluntandis; eorumque opiniones, vel, si mavis, sententias tamquam ab Apolline Pythio edita responsa suscipiunt ac venerantur. Huic errori ansam præbuit ingens advocatorum multitudo, qui post antiquos illos glossatores floruere, atque immensis suis commentariis juris utriusque scientiam

¶¶¶ 2 o-

*bus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus D. Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate ejus responderent: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. . . . Ergo Sabino concessum est a Ti. Cæsare, ut populo responderet.* cet. Hæc Pomponius *l.* 2. §. 47. *de O. J.* quæ late explicat & erudite G. Vander Muelen in *Exercitationibus in historiam Pomponii de Origine juris*, Trajecti ad Rhenum 1691. 8. Et certe dignos puto Romanos Jctos, quibus tantus honor haberetur, cum nonnisi philosophiæ studio totiusque antiquitatis notitia plene imbuti ad jus, præcipue naturale, & quæ ab eo fonte derivantur, principia explananda accederent. Contra ea nostri interpretes ab his studiis quam longissime alieni cælum se digito tetigisse autumant, si in *decisionum*, *consiliorum* ac *resolutionum* sterquilinio perpetuo obvolutati hujusmodi sordibus libros suos conspurcarint. *Risum teneatis amici*? CERD.

1 V. *l.* 9. *tit.* 1. *lib.* 2. *legum Visigoth* *l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. *Ordinam. Alfonsi XI.* *l* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *Regiar. Ordinat.* denique sanctionem *Novæ compilationi* præmissam. MAJ.

onerarunt potius quam ornarunt, ut Jo. Andreas, Bartolus, Baldus, Angelus, Salicetus, Paulus Castrensis, alii, barbaris illis temporibus non secus ac juris prudentiæ oracula habiti. Nam cum juris civilis & canonici consulti tot ab eis elucubrata volumina contemplarentur, quot legendis vix hominis vita sufficeret; rati nihil amplius, aut magis absolutum scribi jam posse, id sibi tantum relictum putabant, ut præceptorum sententias amplecterentur tamquam ipsarum legum animam. Verum enim vero, sive clientum suis commodis consulentium diligentia, sive patronorum avaritia, sive etiam inquirendæ veritatis studio factum est, ut commentatorum sententiæ in examen vocarentur, & quæ gravioribus essent rationum momentis suffultæ, *Praxis* nomine censerentur. In tanta autem interpretum copia fieri non poterat, quin interdum, quibus plus erat librorum, aut otii ad eos perlegendos, ii, ut privatis suis studiis inservirent, ceu ab omnibus una voce & consensu approbatam sententiam proponerent, quæ minus haberet patronorum. Disceptabatur magno animorum ardore, ecquænam *communis* habenda esset sententia. Nec id solum in disputationem veniebat, sed quæ *communior*, quæ reliquis præferenda? num quæ majori stipata esset patronorum comitatu, an quæ saniori? quæ rationi magis consentanea, quæ in foro receptior? & sexcentæ id genus argutiolæ, quibus via ad quidlibet audendum parabatur, &, quod gravius erat, judicum animi huc illuc perpetuo fluctuantes trahebantur.

Cum tam turpiter interpretum auctoritate abusi fuissent juris consulti, Joannes II. Hispaniæ Rex, ut tanto malo obviam procederet, anno 1417. Tauri constitutionem edidit, quæ exstat in *Regiar. Ordinat. l.* 6. *tit.* 4. *l.* 1. his verbis: „Ut litibus ac „controversiis, quæ apud tribunalia agitantur, fi„nis, quam fieri possit brevissime, imponatur, ju„bemus atque decernimus, ut clientes eorumque

„ pa-

„ patroni nec ſcripto, nec voce, nec diſputando,
„ nec aliter adducere poſſint opinionem, reſponſum, ſententiam aut gloſſam doctoris juris ſive canonici, ſive civilis, ex eorum numero, qui poſt Bartolum, aut Jo. Andream floruere, aut in poſterum florebunt. Judices autem minime id fieri patiantur; ſin aliter, & ipſi & advocati & procuratores ſuis muneribus, litigatores cauſa cadant.“ Vides hic quam ſeveriſſima ſimul ac juſtiſſima cenſura damnatæ ſint interpretum, qui Bartolum & Baldum ſubſequuti ſunt, opiniones ac interpretamenta.

Sed cum hæc ſanando morbo ſatis haud fuiſſent, non enim inter omnes conveniebat, cuinam primæ eſſent deferendæ, nec quo loco habendi, qui ambos ætate præceſſerant, Ferdinandus Rex Catholicus una cum uxore Eliſabeta anno 1499. legem tulit, quæ eſt numero XXXVII. Matritenſium, ubi quæ in rebus dubiis ac lege deſtitutis ſententia eſſet præferenda, Bartoline, Baldi, Jo. Andreæ, an Abbatis, diſerte pronuntiavit. Cum vero graviſſima ex hac lege incommoda promanaſſe intelligeret, quo tempore Caſtellæ regna adminiſtrabat, eam penitus abrogavit ſimul cum Joanna Regina lege 1. *Tauri*, cujus verba digna ſunt, quæ hic legantur: „ Quoniam nos anno 1499. leges quaſdam ac conſtitutiones Matriti edidimus, quæ partim ad ordinem in tractandis litibus ac controverſiis ſervandum, partim ad earumdem deciſionem pertinerent, tum in ſenatu noſtro, tum in juridicis conventibus: quas inter leges reperire licet eam, quæ agit de Bartoli, Baldi, Jo. Andreæ atque Abbatis opinionibus, & quænam earum ſit in rebus dubiis, aut lege deficiente, præferenda: certiores facti, quæ a nobis præſcripta fuerant, ut moras, ac ſummam opinionum varietatem e medio tolleremus, graviora damna atque incommoda ſecum attuliſſe, legem illam hac in

„ parte præſenti noſtra conſtitutione revocamus, „ abolemus, refigimus, jubemusque, ne ullam in „ poſterum vim habeat. Nobis etenim id placet o„ mnino, ut in litium ordine conſtituendo earum„ demque deciſione id perpetuo ſervetur, quod in „ laudata Joannis II. & in noſtra hac lege (quæ „ lib. 2. tit. 1. lib. 3. *Novæ Compilat.* exſtat) con„ ſtitutum eſt. “

Itaque interpretum vana ac futilis eſt hodie auctoritas in judiciis. Nam nec legum ſunt conditores, nec eorum opiniones plus habere roboris poſſunt, quam quod a legibus mutuantur. Siquidem aut exterorum leges interpretantur, aut noſtras. Si priores, cum ne eas quidem admittere debeamus, utpote abrogatas, multo minus interpretum explanationes. Non loquor de legibus a principibus noſtris civitate, ut ita dicam, donatis. Ex quo enim ab iisdem confirmatæ ſunt, propriæ efficiuntur. Sic qui legem e corpore juris civilis, aut canonici in *Partitas*, exempli cauſa, illatam interpretatur, perinde facit, ac ſi legem ipſam Partitarum interpretaretur.

Verum quocumque modo id fiat, aut interpretatio legi conſentanea eſt, aut adverſa. Si adverſa, neutiquam admittenda eſt, nam quæ contra legem dicuntur aut fiunt, nullius ſunt momenti, *l. Non dubium* 5. *C. de leg.* nec perpetranda quæ lex prohibet, ſed quæ jubet perpetrari, *l. Legis virtus* 7. *de leg.*

Si legis interpretatio cum ea ex æquo conveniat, amplectenda eſt, non ut opinio interpretis, quantacumque polleat auctoritate, ſed ut verus ac genuinus legis ſenſus. Tunc enim non opinionem amplecti dicimur, quæ fluxa perſæpe eſt & lubrica, ſed legis ſenſum, certum illum quidem, ac cui parere cogimur: quoniam de ejus certitudine dubitare amplius non licet. Hinc eſt, quod ex majori interpretum copia nullum interpretationi pondus ac-

crescit, cum non ex eorum numero, qui ad nihilum fere redigeretur, si alios aliorum sententias indiscriminatim ac nullo judicio transcribentes excluderemus; nec ex opinionum consensu, quæ nutantes sæpe ac incertæ deprehenduntur, metienda sit interpretationis præstantia, sed ex consensione cum legislatoris mente, quæ rectæ rationi ac communi utilitati sit innixa.

Quare pluris habenda erit unius jure consulti interpretatio, quæ legem ex ejus contextu, ac conditoris fine explanet, adhibita in subsidium 1 historiarum aliorumque monumentorum a coævis ac fide dignis scriptoribus exaratorum notitia, quam quæ a legis latoris consilio abludat, licet sexcentis interpretibus stipata sit, *l.* 1. §. *Sed neque* 6. *C. de vet. jur. enucl.* Hanc ob causam summopere proderit, in rebus præsertim dubiis, leges secum consentientes copulare ac inter se conferre, quo penitius legis sensus eruatur, aut si obvius jam sit, clariori luce affundatur. Vitanda tamen nimia ornatus cura, & insanabile 2 leges accumulandi cacoethes, ne libri ul-



1 Vives lib. V. *de trad. disciplinis* hæc habet: *Et quoniam jus civile spectare ad civium concordiam debet, ideo qui illud interpretaturi sunt, & quasi de eo edituri oracula, quibus rebus ea concordia sarta tecta conservetur, edíscent, cognitis tum humani generis communi natura, tum multarum gentium animis & moribus, sed potissimum suæ civitatis: quod fiet multa videndo, audiendo, observando, gestis quoque rebus majorum legendis, & temporum mutationumque, quæ aliquando inciderunt in remp. varietatibus: quibus velut condimento opus est magno & vegeto judicio ad annotanda, & censenda singula. Nec injuria* prudentiæ *nomen peculiare huic hominum generi olim fuit, & professio ipsa* juris prudentia *nuncupata.*

2 De his, qui in suis scriptis leges alias super alias importune agglomerant, de earum sensu parum aut nihil solliciti, ita Vives l. VII. antea laudato: *Jam quomodo citant has leges? non aliter utique, quam indices. Veteres illi antistites æquitatis adducebant quidem interdum placitum aliquod majorum suorum, qui scientia juris valuissent. Sed raro, sed leviter, & ratione magis adquiescebant, quam alterius sententia atque opinione: leges vero multo rarius: nam de illis constabat, de interpretatione erat quæstio. Isti nullum faciunt finem leges alias super alias congerendi, quod est plures leges tenere, non plures intelligere. Et subinde occinunt nobis illud:* Erubesci-

ultra modum excrescant, magno temporis ac crumenæ dispendio, cum de auctorum multitudine in ferenda sententia ac litibus dijudicandis parum aut nihil curandum sit, *l. c.*

Ceterum quoties interpretatio manifesto legi contraria est, aut ei consentanea, plana sunt, ac facile accomodari possunt quæ diximus. Si vero ambigua, *hoc opus*, *hic labor est.* Prætermittere hoc loco non debemus, optimo ac experrecto interpreti cavendum esse, ne in errorem abduci se patiatur, cum ipsi etiam legum latores, utpote homines, ob humanæ rationis imbecillitatem non raro vitia soleant incurrere, *l. Tanta* 2. §. *Siquid* 14. *C. de vet. jur. enucl.* Præcipua eorum hæc sunt: res a proposito alienæ, obscuritas, ambiguitas, falsitas, incohærentia. Interpretis est, a legis tractatione secernere *quod non proposito conducat & hæreat apte*: obscura explicando illustrare, ambigua distin-

scimus sine lege loqui. *Quid est sine lege? si absque citatione capitis alicujus legis: quid potest dici imperitius, quid ineptius, quam non esse sine hujusmodi loquendum lege? Sin vero, quod magis puto, sine lege est, sine ratione ac modo: erubescant qui sine ratione ac modo semper loquuntur; & sine lege suas leges profundunt, quod est utique ostentatio magis memoriæ, quam legum & juris explanatio. Dixi vobis elenchos esse istos juris, non consultos. Ceu vero sit puer aliquis vel muliercula tam rudis, quæ si leges edidicerit, non possit, ubi de hoc aut illo negotio aliquid legerit, dicere & multas leges coacervare, dumtaxat quommodo isti leges ad negotia applicant, in quo non parvam & imperitiæ & torporis sui partem produnt. Nam ut non legerunt leges ipsas, sed epitomas quasdam & summaria, quas vocant rubricas, atque utinam eas omnes. Rubricæ autem colligunt sæpe priorem legis partem, posteriorem relinquunt. Isti ex rubrica citant legem, cujus prior pars utcumque videtur pro eis facere, posterior est omnino contraria, ita ut suomet ipsi gladio crebro se jugulent. Alii proponunt longum sermonem ex decem aut duodecim sententiis conflatum, in fine vero adjiciunt:* Et ad hoc faciunt illa & illa lex, *cum ea tantum ad ultimam sententiam, & quidem leviter, faciant, in qua tamen sententia non erat cardo negotii. Alii cum dicant longam aliquam sententiam, legem afferunt, in qua sunt duo vel tria postrema verba illius sententiæ. Sunt qui etiam omnino falso citent, & alias super alias impudenter & confidenter: nam adeo multas simul aggerant, ut nemo sit tam ferreus & patiens, qui eas sigillatim sustineat excutere. At quod male ab uno citatum est, fide illius citatur ab aliis plurimis pejus.*

stinguere, falsa refellere, notare quæ ex rectis principiis deducta non sunt, aut secum pugnant. Si vero iis munitus subsidiis, omnique adhibita diligentia, ne id quidem assequutus fuerit, ut legis sensus adeo sit apertus, ut ne de eo quidem amplius dubitari queat, adeundus est legis lator, qui rem controversam judicio suo dirimat, *l.* 1. *l. lege* 9. *l. ult. C. de legibus, l. Tanta* 2. §. *Sed quia* 18. *C. de vet. jur. enucl. lib.* 12. *tit.* 1. *lib.* 2. *ll. Visigoth.* quæ secunda est *Fori judicum* Hispane versi, *l.* 14. *tit.* 1. *Part.* 1. *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *Reg. Ordinat. l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 2. *Nov. compilat.* Etenim judici non licet, quod & antea diximus, & animo alte infigendum est, in ferenda sententia, eorum se mancipare opinionibus, qui probabiles tantum conjecturas ad mentem legum eruendam attulere, sed *nullius addictus jurare in verba magistri*, quod post longam ac maturam deliberationem certo certius a lege præscriptum compererit, id omnino tenetur amplecti, *l.* 8. *tit.* 1. *Part.* 1. In quæstionibus autem de facto, locus esse sane poterit *majori*, quam vocant, *probabilitati*, ut finem tandem aliquando habeant.

Ex iis, quæ hucusque explicuimus, satis luculenter apparet, quid nobis dicendum sit de *mera æquitate*, re quidem magni apud imperitos interpretes nominis & auctoritatis, etsi a paucis intellecta, nullius autem apud sapientes: quod tute ipse facile deprehendes.

1 *Aequitas* generatim accepta, nihil est aliud, quam

1 De *æquitate* digna sunt, quæ legantur a Joanne Ludovico Vive scripta in libro VII. *de causis corruptarum artium.* Ejus verba licet longiora, age, huc transferamus. *Aequitas*, inquit, *universalitas est quædam, lex deductio & species. Sed iis rivis & quasi incilibus aquam continenter ex illo æquitatis fonte suppeditari oportet, sine qua inciles continuo arescerent. Est enim æquitas legum anima, vis, vigor, qua sublata, concidant necesse est leges emortuæ. Nihil est enim iniquius quam leges, quæ per æquum & bonum non spirant ac reguntur. Lex de omnibus cavere non potest; Aequitas omnibus præsto est. Idcirco statim initio juris civilis jus fi-*

quam jus ipsum, seu potius ratio intima juris naturæ, gentium ac civilis. Hinc manifeste apparet, æquitatem a jure scripto aut non scripto diversam non esse: aut enim in lege scripta comprehensa est (nam

II. Altius Hispani juris repetenti originem, ultra tempora Romanorum, qui longo satis annorum tractu Hispaniarum tenuere frena, non datur progredi. Notum vero iis, qui Romanorum Imperatorum ad prætores magistratusque illius regni legere rescripta, nonnisi [1] Romanis legibus illic tunc fuisse locum. Integrum talium legum catalogum nobis sistit [2] Arthurus Duck aliique. [3] Martinus equidem Azpilcueta Navarrus JCtus CL. Romanorum Hispanos non paruisse legibus asserere audet, sed, ut credo, de Cantabris Navarrisque, qui Romanorum numquam subiere jugum, solum ipsi sermo est.

III. Subtraxere circa quadringentesimum decimum post Christum natum annum vastam illam provinciam labescenti Romanorum Imperio Gothorum vires, quorum cum dominatu & valuere leges. [4] Invaserant nimirum illam Wisi-Gothi, seu melius West-Go-

thi.

1 Gutierrez *Practicar. quæstionum* lib. 3. quæst. 15. n. 2. Olibano *de Actionibus* part. 1. lib. 3. c. 2. n. 3. Matienzo in *Dialogo Relatör.* part. 3. c. 43. n. 5.

2 Lib. cit. cap. 6. §. 4. pag. 106. edit. Lond. 1653. 8.

3 In *Relect.* ad cap. *novic.* tit. *de Judiciis*, nota 3. n. 60. edit. Lugdunensis 1576. fol.

4 Did. Covarruvias ad c. *peccatum*, §. 9. *de R. J.* in VI. Pancirol. in *Notitia Imperii Occid.* c. 71.

thi. Verum quidem est, Athaulphum sive Adolphum primum eorum regem circa annum quadringentesimum & duodecimum peculiari suæ genti mandasse edicto, ut cum Gothicis legibus & simul Romanas observarent, teste [1] Melch. Haiminsfeldio Goldasto, qui & Athalaricum in constitutione sua ad populum Romanum idem jus Gothis & Romanis commune futurum esse pollicitum [2] asserit. Nihilo tamen minus legimus in [3] L. 9. & 10. tit. 1. lib. 2. *Legum Wisi-Gothorum*, Flavium Recesvinthum Gothorum regem jus Romanum protenus abrogasse, triginta librarum mulcta parti illud citanti in judicio, totidemque Judici juxta idem pronuntianti indicta. [4]

IV. Confirmata postmodum illa legum Romanarum aliarumve omnium abrogatio fuit per lib. ult. tit. 6. l. 1. *Fori Legum*: l. 15. tit. 1. *Part*. 1. lib. 6. tit. 4. *Part*. 3. l. 1. *Tauri*. l. 3. tit. 1. l. 2. novæ *Compilationis*. Sed & id heic annotari meretur, Alaricum quidem sive Athalricum Gothorum Regem *Codicem Theodosianum* per Anianum Cancellarium



1 In *Constitutionibus Imperii* tom. 3.

2 Ibid. eod. tom. Conf. Duck lib. 2. c. 6. §. 14. pag. 110. b.

3 Juxta collectionem Lindenbrogii, sive in L. 8. & 9. tit. 1. lib. 2. *del Fuero Juzgo* ex Alf. de Villadiego editione infra laudanda.

4 D. Petrus Fernandez Navarrete in lib. *Conservacion de las Monarquias*, Discursu 40. pag. 280. col. 1. edit. Matrit. 1626. fol.

suum promulgari jussisse, & notas in Pauli *Sententias* & Caji *Institutiones* componi per eumdem curasse; sed ejus tamen in regno successores, odio Romani nominis & cupidine delendi memoriam legum Romanarum adductos [1] & Codicem Theodosianum, & reliqua Romana jura omni plane vigore atque auctoritate privasse.

V. Primam vero legum a Gothis sancitarum collectionem debemus Eurico Gothorum Regi, prout uno eum ore Hispani auctores vocant, non, ut alii [2] Theodoricum: quippe sub ipso primum jure scripto Gothi, cum eo usque solum dictamen rectæ rationis usu corroboratum valuisset, uti coeperunt. Consulantur [3] Isidorus Hispalensis, [4] Rodericus Ximenez præsul Toletanus, [5] Petr. Salazar de Mendoza, [6] Alfonsus de Sancta Maria sive de Cartagena, apud quem perperam *Enricus* legitur. [7] Ambr. Morales, [8] Steph. de

1 Cironius *Observ. Jur. Can.* lib. 5. c. 1. & 4. Arth. Duck lib. 2. c. 6. §. 14. f. Claud. Clemens in *Tabb. Chronol.* ad A. C. 506. pag. m. 126. f. edit. Valentinæ 1689. 4. Conring *de origine Jur. Germ.* c. 3. pag. 6.

2 Duck l. 2. c. 6. §. 15. pr. pag. 110. b. f.

3 In *Chronico* suo Aera 504. sive A. C. 466.

4 In *Chronico Regum Gothor.* l. 2. c. 10. fol. m. 13. f.

5 In lib. *Origen de las dignidades seglares de España* lib. 1. c. 6. fol. 6. col. 4. edit. Matrit. 1618. fol. Conf. Renat. Choppin. *de Doman. Franciæ* l. 2. tit. 15. n. 5.

6 In *Anacephalæosi Regum Hispaniæ* c. 16.

7 In *Chronica gener. de España* l. 9. c. 35. f. 42. lit. C.

8 Lib. 8. *del Compendio historial de España*, c. 2. pag. 305. edit. Antuerp. Plantin. 1571. fol. 4. voll.

de Garibay & Zamalloa, [1] Alfonsus X. Caſtellæ Rex, [2] Franc. Piſa, [3] Franc. Tarapha canonicus Barcinonenſis, [4] Roder. Sanctius, [5] Didacus Saavedra Faxardo, aliique plures. [6] Baronius equidem cardinalis, & *Annalium eccleſiaſticorum* conditor, Theodoricum Eurici filium juris Gothorum ſcripti auctorem facit: conſtans tamen & unanimis reliquorum hiſtoricorum, ſpeciatim Hiſpanorum omnium, pro Eurico ſententia præpollet.

VI. Hunc ut imperando, ſic & emendando augendoque leges illas ſecutus eſt Leovigildus. Teſtantur id [7] Iſidorus, [8] Garibay, [9] Morales, [10] Rodericus Toletanus, aliique.

 Idem

1 *Chronica general de España por el Rey Don Alonſo el Sabio* edita per Florian de Ocampo Caroli V. Imp. hiſtoricum, Valliſoleti fol. 1604. part. 2. pag. 208. col. 4. Conf. Cujacii *de Feudis* liber 1. tit. 1. fol. 58. tom. 4. operum.

2 *Hiſtoria de Toledo* edit. per Thom. Tamajum de Vargas Philippi IV. Regis hiſtoricum, Toleti 1617. fol. lib. 1. c. 9. pag. 18. f.

3 In libello *de Rebus Hiſpaniæ* ad an. 505.

4 In *Hiſtoria Hiſpaniæ* part. 2. c. 9. Adde Andreæ Schotti *Biblioth. Hiſpan.* tom. 1. c. 7. pag. 152. pr.

5 In *Corona Gotico-Caſtellano-Auſtriaca* part. 1. c. 8. pag. 3. edit. ſec. Monaſterienſis 1646. 4 Cui addatur Juliani del Caſtillo *Hiſtoria de los Reyes Godos*, Matriti 1624. fol. edit.

6 *Annal. Eccleſ.* ad ann. Chr. 468. n. 12.

7 *Chron. Gothor.* ad Aeram 608. ſive A. C. 570. Adde Alfonſ. de Cartagena *Anacephal.* c. 16.

8 Lib. 8. *del Comp. Hiſtorial de España* c. 21. p. 321.

9 *Chronica General de España*, lib. 9. c. 71. pag. 84. lit. F.

10 *Chronic. Gothor.* lib. 2. c. 14. b.

Idem fecit Flavius quoque Recesvinthus Rex, cujus allocutio patrum concilii Toletani, quod IIX. est, seriis dirisque proceres magnatesque regni ad emendandas civiles leges astrinxit verbis, quæ apud [1] Garciam Loaysam Philippi II. regis magistrum & archiepiscopum postea Toletanum evolvi possunt: quibus & addi merentur, quæ [2] Morales de eadem re scripsit.

VII. Excipit hæc tempora famosissimi Fori Judicum, sive ut Hispano audit sermone, Fuero Juzgo, libri origo; qui cum fons omnium Hispaniæ jurium legumve recte existimetur, ut de ipso accuratius paululum investigando simus solliciti, jure meretur. Admodum autem prolixus forem, si omnium singulorumque circa illius originem historicorum sententias enumerare conarer, quare graviorum sufficiat audire δόξας.

VIII. Primum sibi locum merito suo postulat Ambrosius Morales, quem haud proletaria in antiquitatibus patriis eruendis, nostroque in primis illustrando argumento functum opera norunt, quotquot illum principem historicorum Hispaniæ evolvere. Sic autem ille fusius de illo legum Gothicarum systemate disserit: [2] „Sisenandum Gothorum Regem

„ fe-

[1] In *Collectione conciliorum Hispaniæ*, Matriti 1593. fol. edita, pag. 420. m.

[2] Lib. 12. c. 30. fol. 141. lit. A.

[3] *Chron. General de España* lib. 12. c. 28. fol. 123. & c 61. f. 194.

„ ferunt legibus ejus gentis in ordinem redi-
„ gendis sedulam præ ceteris navasse operam:
„ unde & idem is est „ cui communi pluri-
„ morum historicorum opinione compilatio li-
„ bri Fuero Juzgo ascribitur. Sententiam
„ quoque tuetur illam titulus, qui in codice
„ antiquo MS. exstat, Sisenandi Regis nomen
„ in fronte gerens, & compositum in concilio
„ Toletano IV. per LXII. episcopos, præsen-
„ te jam memorato Rege, istud legum *σύςη-*
„ *μα* innuens.

IX. „ Ut meam (pergit idem Morales)
„ lectori exponam mentem, liber iste Latine
„ primum scriptus compilatusque fuisse vide-
„ tur, in linguam postmodum *Romance* seu
„ Castellanam translatus. Testatur id, quem
„ *αὐτόπτῃ* mihi videre contingit, codex
„ ejus sat antiquus, ubi Latino cujusvis le-
„ gis tenori versio, quam citamus, *Romance*
„ suberat, exstatque hodiedum codex ille in
„ bibliotheca illustris ecclesiæ Toletanæ. Ge-
„ nuinum libri nomen Latinum est LIBER
„ JUDICUM, & hoc titulo citatur a Ferdi-
„ nando I. Castellæ Rege in oratione illa,
„ quam habuit ad patres in concilio ad *Coyan-*
„ *za* opidum Oreto Asturiarum capiti vicinum
„ congregatos, A. C. 1150. ubi expresse le-
„ ges illo contentæ Gothicæ audiunt. Eadem
„ vero ratione, qua omnis apud nos legum
„ liber *Fuero*, etiam hic *Fuero Juzgo* corru-
„ pto ex *Fuero de los Jueces*, sive *Fori Ju-*
„ *dicum*, vocabulo cognominatur.

X. „Sunt (continuat Morales), quibus „*Fuero de Leon* audit, quam ob caussam „equidem nescio: proprie enim id nominis „datur libro legum, quas illi cognominis „regni metropoli olim præscripserat Alfon„sus V. Rex, & urbis illius ab ultimo per „Maurorum Almansorem excidio restaurator. „Est autem hic legum Legionensium liber „longe celebratissimus in gentis nostræ anna„libus, loquiturque de illo ipsum Alfon„si monumentum, quod in S. Isidori tem„plo in Legionensium cernitur metropoli, „(& ab ipso [1] Morali) his exprimitur verbis: „*Hic jacet Rex Adefonsus, qui populavit* „*Legionem post destructionem Almanzor, &* „*dedit ei bonos foros, & fecit ecclesiam hanc* „*de luto & latere. Habuit prælia cum Sar*„*racenis, & interfectus est sagitta apud Ve*„*seum in Portugal. Fuit filius Veremundi Or*„*donii. Obit Aera M. LXVIII. III. Non.* „*Maji.* Ipse ego (verba sunt Moralis) ex „pervetustis descriptum codicibus fori illius „Legionensis exemplar possideo; compositus „autem Forus ille in comitiis, quæ conci„lium Legionense vulgo audiunt, die I. Au„gusti A. C. 1020. celebratis. Minime ergo „libro Judicum juris illius Legionensis no„men quadrat.

XI. „Erroris quoque manifestissimi ibi-

„dem

1 Lib. 17. c. 38. fol. 317. lit. A. de *la Chronica general de España.*

„ dem Morales arguit eos, qui Siſenandum „ Regem, patresque concilii Toletani IV. au„ ctores libri iſtius aſſerunt. Leges quippe Re„ gum longo poſt temporis ſpatio imperan„ tium ſparſim inveniuntur illic ad ipſius uſ„ que Roderici infelicis ac poſtremi Gotho„ rum in Hiſpania Regum ævum. Anſam, „ ut credo, errori dedit lex ejus libri I. quæ „ Siſenandi conciliique iſtius nomen præ ſe „ fert. Aliis placuit, auctorem ejus ſtatuere „ Alfonſum cognomento Caſtum, Legio„ nis & Caſtellæ Regem. Verum & hæc aſ„ ſertio omni ratione ac auctoritate deſtitui„ tur. Mihi firmiſſimis gravibusque argumen„ tis perſuaſum eſt, colligi cœptum Forum „ illud Judicum ſub Chindaſvinto & Receſ„ vinto patre filioque Regibus; ac ultima tan„ dem perfectum manu ſub Egica in XVI. „ Toletano concilio fuiſſe. Non obſtat huic „ meæ ſententiæ, reperiri & illic Regum poſt „ Egicam, ut Witizæ & Roderici leges, pau„ ciſſimæ enim illæ ſunt, & quæ volumini „ jam confecto facile adjici potuere.

XII. „ Conſtat autem noſtrum hoc ſyſte„ ma quatuor diſtinctis legum ſpeciebus: I. „ Edictis regum Gothorum, præſcripto cui„ vis legi Regis auctoris nomine: II. Conci„ liorum Toletanorum decretis: III. Legibus „ *Antiquæ* dictis, quæ ex Romanis credun„ tur deſumtæ, & IV. Anonymis, ſive tali„ bus, quæ omni omnino titulo ac epigraphe „ deſtituuntur. Antiquiſſimæ omnium ſunt

„ Gun-

„ Gundemari Regis, plurimæ Chindas & Re„ cesvintorum Regum. " Habes heic, amice lector, quæcumque notatu digna circa Forum illud Judicum erudite annotavit gravis ille vir Ambrosius Morales. Restat, ut præcipuos Hispanarum antiquitatum auctores pro viribus cum ipso conciliare studeamus.

XIII. Astipulatur Morali 1 Franc. Pisa, qui & rubrum, ut vocant, illius libri, seu epigraphen his verbis exhibet ex vetusto MS. codice: „ *Este libro fue fecho de sesenta y seis* „ *Obispos en o quarto conceyo de Toledo, ante* „ *la presencia del Rey Don Sisnando, en o* „ *tercero año, que él regnó, en a Era de seis*„ *cientos e ochenta e un año. Rey Sisnando.* " Additque Pisa, erratum heic esse in numero tum episcoporum, Rodericum enim Toletanum nonnisi LXII. meminisse, tum etiam annorum Aeræ, factum enim illud esse anno Aeræ 671. Facit autem & pro Sisenando concilioque illo Toletano 2 Jo. Mariana, qui collectorem operis haberi S. Isidorum Hispalensem asserit, quod tamen 3 Saavedræ & 4 Alf. Villadiego displicet.

XIV. Alios quoque collectionis illius Fori-

1 In *Historia de la ciudad de Toledo* lib. 1. pag. 18. col. 4.

2 *Historia de España* lib. 6. c. 5.

3 In *Corona Gothica* part. I. pag. 339. Conf. Andr. Schotti *Biblioth. Hispan.* tom. 1. c. 7. n. 27. pag. 163. edit. Wechel 1608. 4.

4 In *Comm. in Forum Judicum* seu LL. Gothorum. in princ.

ri Judicum constituit auctores vel adjutores [1] Martinus de Ximena, S. Sisebadum nempe Giennensem (vulgo *Jaen*) & S. Theodisclum Beatiensem (communiter *Baeza*) episcopos & martyres. Quo vero is nitatur fundamento, protenus me latet. Conferantur, quæ circa hoc argumentum scriptis tradidere viri de historia Hispana longe meritissimi, [2] Didacus de Colmenares Segoviensis, multæ auctoritatis apud suos historicus, [3] P. Bernardus Brito monachus Alcobacensis & regni Lusitaniæ historiographus, [4] Petrus de Rojas Moræ Comes, [5] Steph. Garibayus, qui pro Sisenando stat; [6] Jo. Briz Martinez, monasterii regii Aragonici S. Joannis Pinnatensis abbas & historiographus regius, qui & illic rationem dat etymologiæ nominis *Fuero*, illudque ex Latinorum *Foro* scite deducit, redarguendo [7] Isidorum, qui a *Foroneo* rege antiquo, primoque mortalium credito legislatore illud de-

1 *Anales de Jaen* n. 7. ad ann. 793. pag. 45. Matriti 1654. fol.

2 *Historia de Segovia* cap. 9. §. 2. pag. 64. b.

3 *Monarquia Lusitana* tom. 2. lib. 6. c. 29. pag. 257. col. 4.

4 *Historia de la ciudad de Toledo* tom. 2. lib. 3. c. 10. pag. 327.

5 *Compendio historial de España* lib. 8. c. 31. pag. 340. m.

6 *Historia de S. Juan de la Peña y del Reino de Aragon* lib. 1. c. 33. f. 146. col. b. edit. Cæsaraug. apud. Jo. de Lanaja & Quartanet 1620. fol.

7 *Originum* lib. 15. c. 2. pag. m. 1193. f. edit. Gothofredi.

derivare conatus est, & ob id quoque Andreæ [1] Alciato JC. CL. vapulavit.

XV. In Moralis quoque circa Egicam Regem Fori nostri auctorem sententiam concedit Frid. Lindenbrogius JC. CL. in *Proleg.* ad *Codicem legum antiquarum* Francof. 1623. fol. editum, ubi & asserit, in Hispania Gal„liaque Narbonensi usum illius Fori frequentem & tantæ fuisse auctoritatis, ut ex illo etiam in capitulare Caroli Magni Imp. quædam inserta fuerint, ex. gr. L. 6. tit. 269. lib. 7. addatur L. 4. tit. 1. Testatur quoque ibidem Lindenbrogius, *librum legis Gothicæ* vocari a Joanne IIX. Pontifice Rom. in *Decreto Ivonis* part. 3. c. 98. qui eidem ex capitulari Caroli legem de compositione sacrilegii adjecit: quin & κατ' ἐξοχὴν *Forum Judicum* & *liber Judicis* audit in exemplari *Curialium usuum de Feudis* Raim. Berengarii comitis Barcinonensis." Hæc Lindenbrogius: cui adde Did. Valdes in *Addit. ad Xuarez in Prooem. Fori Goth.* Andream Gomez de Arze in præf. *del Fuero Juzgo*, col. 3. Vasæum in vita Suintilæ regis, Fr. Rodericum de Yepes in *Genealogia de los Reyes de España*, in vita Egicæ fol. 36.

XVI. Nec id omittendum censeo, quod ex [2] Deciano [3] atque Choppino asserit [4] Arthu-

1 *Disput.* lib. 2. c. 24.

2 In *Apolog. adversus Alciatum* lib. 2. c. 7.

3 *De Domanio Franciæ* lib. 2. tit. 15. n. 5. edit. Paris. 1605. fol.

4 *De usu & auctor. Juris* lib. 2. c. 6. §. 15. pag. 3. a. m.

thurus Duck, codicis Justinianei ad exemplum in XII. libros *Forum* hoc nostrum dispesci, magnamque tum apud [1] Burgundiones, tum apud Saxones aliosque populos consecutum auctoritatem, in tantum, ut & in ipsis conciliis ecclesiæ laudari sæpius eum contigerit. De tempore autem, cui ascribenda ejus origo proprie foret, omnino cum ceteris silet Duckius: [2] Claudius tamen Clemens eam in annum Christi 631. rejicit. Sed satis me de Fori hujus Gothici origine, naturaque ac constitutione dixisse arbitror: reliquum nunc est, ut & de ejus MSCtis æque ac typis editis codicibus, glossarumque ac commentariorum in idem auctoribus verba faciam.

XVII. Et primo quidem, quod ad MSS. hujus systematis codices attinet, testatur illustris Segoviensium scriptor [3] Didacus Colmenares, vidisse se vetus illius exemplar quadringentorum & ultra annorum, emendatius longe auctiusque illo, qui ab Alfonso de Villadiego typis fuit publicatus. Exstat & in Antonii Augustini, CL. illius Tarraconensium archiepiscopi, ac juris consultorum sui ævi facile principis, [4] *Bibliotheca Manuscriptorum* exemplar *Fori* sive *libri Judicum*, in

1 Conf. Cironium *Observat. Juris Can.* lib. 5. c. 2.
2 In *Tabulis chronologicis* pag. 127. b.
3 *Historia de Segovia* c. 9. §. 2. pag. 64. b.
4 In MSS. Latinis n. 405. pag. 95. edit. Tarrac. ap. Phil. Mey 1587. 4. 2. alph. qui liber apprime rarus est.

in quo LL. illæ Gothorum Regum Hispano sermone continentur. Scriptum illud in membranis jam ante 380. & quod excurrit, annos fuerat, & formæ minoris folii volumine continebatur. Apographum etiam hujus libri idem summus vir ex priori descriptum exemplari possidebat, ut in jam citato [1] catalogo apparet. Dolendum autem est, prius illud membranaceum scriptum injuria temporum fuisse mutilatum, ut ipse conqueritur Augustinus. Quin & libros XII. legum Gothicarum, qui dubio procul idem cum Foro nostro opus sunt, collatos ab illustri Hieronymo Zurita cum antiquo, (quod in veteri reperitur codice conciliorum sancti Aemiliani Cogollensis [nunc *S. Millan de la Cogulla* dicti] qui hodie in magnifica S. Laurentii *del Escorial* monasterii bibliotheca exstat) exemplari, & in charta recenter circa ann. 1550. descriptus in forma folii idem habuit Augustinus, [2] catalogo BBæ. ejus teste.

XVIII. Latine edidit illud omnium, ut credo, primus Petrus Pithoeus, JCtus Gallus,

1 Ibid. n. 406.

2 Ibid. n. 407. Cui omnino adjungi merentur, quæ Uztarrozius & Josephus Dormerus *en los progressos de la historia en el Reino de Aragon* lib. 3. c. 4. §. 5. pag. 249. seq. de Zuritæ illo MS. disserunt ex domini Martini Lopez de Bailo, Ant. Augustini secretarii notitia librorum illius Bibl. quod opus idem cum jam citata Augustini BBa. credimus, additque Dormerus, se quoque MS. *Fori Judicum* membraneum admodum vetustum possidere.

lus, & politioris litteraturæ antiſtes celebratiſſimus, hoc ſub titulo: *Codicis legum Wiſi-Gothorum libri XII. cum* Isidori *Hiſpalenſis Epiſcopi de Gothis, Wandalis & Suevis Hiſtoria ſeu Chronico.* Pariſiis apud Sebaſt. Nivellium 1579. in forma fol. trium, ut vocant, alphab. mole. Laudat & opus & auctorem debito encomio [1] F. Lindenbrogius, & tranſlatum poſtea illud fuiſſe aſſerit, neſcio cujus juſſu, in linguam Hiſpanicam, *ita tamen ut ea verſio in omnibus Latinæ editioni non reſpondeat, nam & ex conciliis Hiſpaniæ quædam præmitti & intermiſceri, leges etiam ipſas alio, quam in Latino Pithoei interdum ordine collocari.* Prodiit autem verſio illa Hiſpana opera Alfonsi de Villadiego cum uberrimis ejus *Commentariis*. Aſturicenſis hic fuit, J. V. D. ac in urbe Madritenſi civis & advocatus, qui *Forum* hoc *Judicum* Latine, adjecta Hiſpanica ex variis conflacta conciliis gloſſa, edidit hoc titulo: „Forum antiquum Gothorum Regum Hiſpaniæ, olim „Liber Judicum, hodie Fuero Juzgo nuncupatum, XII. libros continens: adjectum & „Isidori *Chronicon* cum continuatione editoris. Madriti apud Petrum Madrigal 1600.f.“ duodecim, ut ajunt, alphab. Notandum heic obiter, falli [2] Nic. Antonium, cum in *Bibl. Hi-*

1 In Prolegom. *Codicis legum antiquarum*, in quo eaſdem leges Wiſi-Gothorum ad Pithoei exemplar edendas curavit.

2 Tom. 1. lit. A. pag. 43. a princ.

*Hisp. nova* [1] plura huic nostro cognomina, ut : *Villadiego*, *Vascuñana* & *Montoya* tribuit, eumque Toletanum patria facit. Ipse etenim se Asturicensem, civemque Mantuanum in operis inscriptione vocat.

XIX. Observationes etiam *al Fuero Juzgo*, sive ad *Forum Judicum*, veteres Hispaniæ tabulas, scripsit Themidis Hispanæ antistes & JCtus excellentissimus DIDACUS DE COVARRUVIAS ET LEYVA, sacrum semper juri operantibus nomen. Eas ANT. COVARRUVIAS, magni Didaci haud degener frater perfecisse, typisque edenda commisisse, dicitur apud [1] Hier. de Higuera Jesuitam Toletanum ; lucem autem aspexisse publicam est quod dubitemus ; [3] Nicolaus certe Antonius nullius plane ejus editionis meminit.

XX. Est & non ignotum scriptis varii generis, quibus suæ permanebunt semper laudes, nomen JOANNIS LUPI seu LOPEZ (alias *de Biveros* dicti) de PALACIOS RUBIOS. Salmanticensis primum, post Vallisoletanus fuit juris canonici professor, seu, ut vocant, *cathedrarius* ; tandemque anno 1490. creatus judex regius cancellariæ Pincianæ seu Vallisoletanæ. Fama est, primum hunc fuisse curiæ Indicarum rerum senatorem renuntiatum, Romam quoque delegatum aliquando ad obedien-

1 In Tractatu MS. *de los Muzarabes*, sive de Mixt-Arabibus Hispanis, qui adhuc in scriniis latet.

2 In *Biblioth. Hispana nova* tom. 1. tit. *Didacus Covarruvias*.

dientiam Ferdinandi Catholici nomine Julio II. P. R. exhibendam. Inter alia, quæ summus hic vir posteritati reliquit ingenii monumenta, heic solum glossematum ejus ad Fori Judicum leges meminisse juvat; de reliquis infra nobis dicendi patebit campus, cum ad legum Taurinarum daduchos erit perventum. Manu exarata illa glossemata lucem non aspexere, sed auctori furto ablata fuisse conqueritur, [1] Alfonsus filius.

XXI. Excipit Lopesium RODERICUS SUAREZ sive XUAREZ, Salmantinus, non infimi subsellii J. C. cujus eruditionis modestiæque summa cum laude meminere summi viri [2] Didacus Covarruvias in *Variarum resolut.* libris, & [3] Ant. Quesada. Baccalaurei is (sive Bacularii, ut [4] Buchnerus censet scribendum) juris titulo contentus, rara mehercle modestia, vixit, curiæ Pincianæ senator, decurioque tandem Salmanticensis a Catholico Hispaniarum rege Ferdinando V. constitutus. Habentur inter ejus opera ævum duratura *Repetitiones* sive *Lecturæ* in quasdam leges Fori Gothici, nempe:

I. *Prooemium in Leges Fori Hispanici.*

II. *Lectura lib.* 1. *tit. XI. leg.* 1. *Fori LL.*



sci-

1 Nic. Antonius *Bibl. Hisp. novæ* tom. 1.

2 *Variar. Resolut.* lib. 3. c. 5. n. 6. edit. operum Francofurt. tom. 2. fol. 221. b. m.

3 In *Quæstionibus juris*, quæst. 24.

4 In tomo *Programm. Academic.* n. 201. pag. 202. b. m. 4.

ſcilicet de eo, quod filia per matrimonium a patria poteſtate liberatur.

III. *Lectura lib. II. tit. III. legis* 2.

IV. *Lectura lib. II. tit. XII. leg.* 4. ſive de juramento.

V. *Lectura lib. III. tit. I. leg.* 2. ſcilicet de poena filiæ nubentis abſque parentum conſenſu.

VI. *Lectura lib. III. tit. III. leg.* 2. ſive de bonis conſtante matrimonio quæſitis, qui & ſeorſum prodiit Coloniæ 1580. 8.

VII. *Lectura lib. III. tit. II. leg.* 1. ſive de arrhis.

VIII. *Lectura lib. III. tit. XX. leg.* 13. quod mulier non contrahat abſque viri permiſſu.

IX. *Lectura lib. III. tit. VI. leg.* 1. de filiorum naturalium & ſpuriorum ſucceſſione.

X. *Lectura lib. III. tit. IIX. leg.* 2. de ceſſione bonorum.

XI. *Lectura lib. III. tit. VI. leg.* 8. *de las herencias*, ſcilicet de hereditatibus.

XII. *Lectura lib. III. tit. V. leg.* 9. de gravamine a legitima filiorum portione tollendo.

Omnes hæ *Repetitiones*, ſive *Lecturæ* junctim prodiere Salmanticæ 1556. f. Poſtmodum & auctæ fuere additionibus Didaci Valdes, J. C. & profeſſoris primum vicennalis juris canonici Valliſoletani, poſt & cu-

riæ

riæ Granatensis summæ senatoris. Editæ illæ sunt Pinciæ una cum Xuarezii *Lecturis* 1590. fol. Nostri vero SUAREZII opera omnia prodiere junctim Francof. apud Nic. Bassæum recusa 1594. fol. & Duaci etiam in Belgio 1614. itidem in fol. & Antuerp. 1661. fol.

XXII. His ultimo loco adjungendus est GASPAR DE BAEZA, vir juvenis supra ætatem doctus, cujus inferius, cum ad novissimam LL. collectionem ventum erit, mentio prolixius fiet. Postumum ejus opus edidit frater, Melchior de Baeza, *de Decima tutori jure Hispanico præstanda*, ad L. nempe 2. tit. VII. lib. III. *Fori Legum*, Granatæ apud Hug. Mena primum 1507. post & Madriti 1692. utrimque in fol. excusum: idemque opus & in *Tractatu tractatuum* haberi auctor nobis est [1] Nic. Antonius. Et sic hos recensuisse legum istarum λαμπαδέχους nobis nunc sufficiat; brevitatis etenim studio ad sequiora tempora, & historiæ jurium Hispanorum telam pertexendam properandum nobis est.

[1] *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 397. b.

# SECTIO II.

## *DE PARTITARUM LEGIBUS*

### *ET FORO REGIO CASTELLAE.*

I. STetit plena sua legibus Gothorum Judicumque libro auctoritas sub Castellæ Legionisque non solum, sed & Aragoniæ [teste [1] Blanca] regibus post Mauros in illis regnis, quæ Gothis eripuerant, pulsos, per aliquot sæculorum decursum, & in Castellæ quidem regno ad tempora usque Salomonis illius Hispaniæ, nomine reque vera sapientis Alfonsi X. seu ut alii numerant IX. vel etiam XI. [2] electi Romanorum Imperatoris. Hic enim tum ut subjectorum consuleret utilitati, tum ut in sacro Themidis tholo memoriæ suæ suspenderet anathema, anno post Christum natum 1260. ultima perfici manu curavit coepta jam sub Ferdinando III. sancto illo patre suo, (quem & saluberrimas plurimis Andalusiæ, seu Bæticæ urbibus ac oppidis, teste [3]Roder. Caro J. C. leges ac foros con-

1 In *Comment. Rerum Aragon.* Cæsaraugustæ fol. editis anno 1588. ap. Laur. & Didac. Robles, fratres, pag. 132. & 133.

2 Videantur Cironius *Observat. Jur. Can.* lib. 5. c. 1. & 7. & Ren. Choppinus *de Domanio Franciæ* tit. 15. n. 5.

3 *Antiguedades del Convento de Sevilla*, lib. 3. c. 44. fol. 161. col. 3. editionis Hispal. ap. Andr. Grande, 1634. fol.

constituiſſe notum eſt ) legum omnium a prædeceſſoribus Caſtellæ regibus latarum congeriem VII. partibus diſtinctam, unde celebre ortum de las SIETE PARTIDAS cognomentum. Auctores, qui nobis hæc tradidere ſunt, 1 Steph. Garibayus, magnus Aragoniæ annalium conditor 2 Hier. Zurita, 3 Diegus Ortiz de Zuñiga, Hiſpalenſis, ordinis ſancti Jacobi eques, 4 Nic. Antonius, itidem Hiſpalenſis, regiorum Romæ negotiorum geſtor, & eques ord. S. Jacobi, 5 Alfonſus Nonnii ſive Nuñez de Caſtro, Caroli II. Hiſpan. regis hiſtoricus, 6 Petrus Salazar de Mendoza, Toletanus J. C. atque eccleſiæ patriæ canonicus, qui a Ferdinando III. per XII. viros (regii Caſtellæ ſenatus ſupremi primos auctores) compilatas *Partitas* aſſerit, cui & cal-



1 *Compendio hiſtorial de España*, lib. 10. c. 7. pag. 517. & lib. 13. c. 9. pag. 801. m. edit. Antuerp. Plantin. 1571. fol.

2 *Annales de Aragon* part. 1. lib. 4. c. 47. fol. 274. col. 1. editionis Cæſaraug. ap. Jo. de Lanaja & Quartanet 1621. fol.

3 *Annales eccleſiaſticos y ſeglares de Sevilla*, Madriti apud Florian. Aniſſon 1677. fol. edit. pag. 131. m. ad ann. 1284.

4 *Biblioth. Hiſp. novæ*, Romæ ap. Nic. Angelum Tinaſſium 1672. editæ fol. II. voll. tom. 1. pag. 416. b. m.

5 *Hiſtoria de la vida del Sancto Rey Don Fernando el III.* edita Madriti ap. Franc. Serrano 1673. in 4. pag. 68. b.

6 In lib. *Origen de las Dignidades ſeglares de Caſtilla*, Madriti 1618. fol. edito, lib. 2. cap. 13. pag. m. 55. a.

culum adjicit, 1 Petrus de Mariz Conimbricensis, historicus Lusitanus, 2 Claudius Clemens S. J. presbyter, patria Burgundus & professor in collegio Imperiali Madritensi, qui in A. C. 1250. Partitarum illam collectionem conjicit.

II. In primis vero notari merentur, quæ 3 Jo. Mariana, S. J. theologus, ac historiæ Hispanæ illustre decus de Partitarum legibus disserit. Is etenim simul mentionem facit antiquati ab Alfonso sapiente cujusdam libri seu fori leges Castellæ antiquas continentis, juxta quod vetustissimos Castellæ judices, (quos inter fama præ ceteris claruere Nonnius Rasura & Lainus Calvus) pronuntiare solitos fuisse asserit. Prolixius adhuc & solidius pro more de illo legum libro disserit historicorum Hispaniæ coryphæus 4 Steph. de Garibay. *Judices*, ait, *antiqui Castellæ libro quodam legum*, Liber Judicum (*Libro de los Juezes*) *dicto*

*ute*

1 *Dialogos de varia historia, e dos Reys de Portugal*, Dial. 2. pag. 97. b. edit. Coimbra ap. Ant. Mariz 1594 8.

2 In Tabulis sive *Tablas chronologicas de España*, edit. novissimæ auctius editæ per *Lic. Vicente Joseph Miguel. Valencia* apud *Jaime de Bordazar*, 1689. in 4. pag. m. 136. pr.

3 *Historia de España*, lib. 8. c. 3. pag. 267. b. & lib. 13. c. 8. f. pag. 469. b. edit. novissimæ cum continuatione a D. Felix Lucio de Espinosa y Malo, edita Madriti ap. Gabr. de Leon 1678. fol. II. vol. Idem tamen Mariana lib. 9. c. 7. Sanctium Ramiri successorem jam LL. Gothorum abrogasse affirmat, qui tamen ob id vapulat Conring. *de O. J. Germ.* c. 3. pag. 9. seq.

4 Lib. 10. *del Compendio historial*, c. 7. pag. m. 517.

*utebantur, in quo vetus Castellæ Forum continebatur; juxta illud pronuntiabant, dirimebantque comitatus illius subjectorum lites. Mentio fit sæpius illius libri in privilegiis vetustis urbibus oppidisque hujus regni a primis quondam ejus regibus concessis, summaque semper jus illud auctoritate & robore viguit, usque dum per Alfonsum Sapientem, legesque Partitarum penitus ei abrogaretur.* Hæc Garibayus.

III. Nec illud silentio heic prætereundum puto, veteres Castellæ comites, Ferdinandum Gundisalvi, Garsiam Ferdinandi, & Sanctium Garsiam receptæ a Mauris Septempublicæ (oppidum est Castellæ veteris novem leucis Segovia distans, hodie *Sepulveda* audit) singulare contulisse Forum sive jus municipale, quod a Sanctio majore, Navarræ rege, Sanctii Garsiæ nepote eidem renovatum amplificatumque fuit. Forum hoc præ ceteris Hispaniæ fama claret, & κατ' ἐξοχὴν FUERO ANTIGUO cognominatur; quin & extra Castellæ regni limites ejus fama celebritasque progressa est adeo, ut Alfonsus II. Aragonum rex etiam urbi *Teruel* noviter a se instauratæ istud præscripserit A. C. 1172. teste [1] Hier. Zurita, & [2] Rod. Mendez Silva.

IV. Redeamus ad jus *Alfonsinum*, quod



1 *Annal. Arag.* lib. 2. c. 31. fin. fol. 79. col. 3. pr.
2 In *Poblacion general de España*, pag. 26. col. 3. & pag. 102. col. 2.

maximam partem ex jure Romano fuiſſe depromtum, communis [1] doctorum ſententia eſt. Non melius autem graviusque perorare celebre hoc *Partitarum* opus, quam ipſis Nic. Antonii verbis potero. Sic autem [2] ille; „ Juriſprudentiæ opus maximum, & Juſtiniani „ Imperatoris Tribonianique Latinorum, ſive „ Baſilii Græcorum æterno de hac artium merito haud impar, nullis tacendum gentibus aut ſæculis jam ſubjicimus: LAS SIETE „ PARTIDAS DEL REY D. ALONSO nuncupatum, hoc eſt, Hiſpanæ totius, tam ſacræ „ quam profanæ, tam publicæ quam privatæ, „ tam civilis quam criminalis, ut vocant, juriſprudentiæ corpus abſolutiſſimum, quod „ *Jus Alfonſinum* proprie dixeris, quod cum „ ſcholiis ALF. DIAZII DE MONTALVO ſemel, „ & cum aliis GREG. LOPEZII Salmanticæ „ ter editum habemus ex Portonariorum officina, typis nempe Andreæ an. 1555. & „ 1565. & Dominici Andreæ, forſan filii, „ anno 1576. 4. voluminibus in fol. "

„ Eſt autem hæc *Partitarum* collectio nil „ aliud

1 Covarruvias *Variar. Reſolut.* lib. 1. c. 14. §. 5. Camillus Borellus *de Regis Catholici præſtantia & juribus*, c. 68. n. 8. edit. Mediolan. 1611. fol. Choppinus *de Domanio Franciæ*, lib. 2. tit. 15. n. 5. &c. quin ipſe Nic. Anton. in *Præf. biblioth. novæ* per Azonis celebris J.C. diſcipulos *Partitas* compilatas fuiſſe, aſſerit.

2 *Bibliothecæ veteris Hiſpanæ* poſt obitum auctoris a Cardinale Joſepho Saenz de Aguirre Romæ ap. Anton. de Rubeis 1696. fol. II. vol. editæ tom. 2. lib. 8. c. 5. §. 220. 21. 22. 23.

„ aliud ac interpretatio quædam legum Ro-
„ manarum, atque item ſacrorum canonum,
„ nonnullis adjectis pro reſolvendis ſcholiaſta-
„ rum juris quibuſdam controverſiis, quas
„ opus fuit exſolvi. Quare non aliter, quam
„ ab earumdem Romanarum, tam eccleſiaſti-
„ carum, quam profanarum legum ſententia
„ explicari has *Partitarum* leges debere notant
„ noſtri [1] pragmatici, atque idem nec ante
„ Ferdinandi & Eliſabethæ Catholicorum re-
„ gum tempora [2] vim legum habuiſſe ex eo,
„ quod numquam uti tales fuerint promulga-
„ tæ. *Partitæ* vero quaſi partes ſive diviſiones
„ operis dictæ, nam & intus hic verbi uſus le-
„ gitur: *Alguna partida* pro aliqua parte, in
„ l. 22. tit. 8. *Part. V.* & paſſim.“

V. „ Fama eſt, B. Ferdinandi tempore
„ hoc exſculptum legum ſyſtema, ſed alio
„ nos vocat ejuſdem inſcriptio, & vulgaris
„ hiſtoricorum, puta [3] Alfonſi de Cartagena,
„ [4] Franç. Taraphæ, [5] Alf. Garſiæ Matamo-
„ ri, [6] Roderici Sanctii, & aliorum perſua-
„ ſio, hanc laudem non alii quam Alfonſo
„ præſtantium. Utrique autem debere gratias
Hi-

1 Covarruvias *Variarum Reſolut.* lib. 1. c. 14. n. 5. Rod. Suarez ſeu Xuarez ad lib. 1. n. 43. med. tit. *de las ganancias*, lib. 3. Fori Judicum.

2 Burgos de Paz ad leg. 1. *Tauri* ex n. 367. 572. & 663.

3 In *Anacephalæoſi Regum Hiſpaniæ* c. 48.

4 In libello *de Regibus Hiſpaniæ.*

5 In *Apologetico pro doctis Hiſpaniæ viris.*

6 In *Hiſtor. Hiſpaniæ*, part. 4. c. 1.

,, Hispaniam, aliis, & melius, placet, Fer-
,, dinando concepti & inchoati, Alfonso ab-
,, soluti operis. De quo vere possumus dice-
,, re, quod olim [1] Cicero de suo Romanorum
,, primitivo jure non parum ambitiose: *Fre-*
,, *mant omnes licet, dicam quod sentio. Bi-*
,, *bliothecas mehercle omnium philosophorum*
,, *unus mihi videtur XII. Tabularum libel-*
,, *lus, siquis legum fontes & capita viderit,*
,, *& auctoritatis pondere, & utilitatis uber-*
,, *tate superare.* Quid elegantius, sed & quid
,, superbius?"

VI. Primus famosum hoc juris Alfonsini systema in curiam Madritensem introduxit, legisque illic vim habere jussit Alfonsus XI. sive ultimus ejus nominis Castellæ rex, Sapientis pronepos, quem in finem erigi anno Aeræ 1377. seu Christi 1339. die 2. Maji curavit publicum regiaque auctoritate munitum instrumentum, quod verbis authenticis exhibet [2] Hieronymus de Quintana, Latinæ Madritensium scholæ rector, & illius urbium reginæ monumentorum sagax illustrator, a quo tamen abire in diversam videtur sententiam Cl. [3] Nic. Antonius, dum Alfonsum illum XI. sanctione Compluti promulgata A. C. 1386. iis demum legibus vigorem & auctoritatem tribuisse scribit. Pace tamen summi hujus viri di-

1 In lib. 1. *de Oratore.*

2 In lib. *Grandezas de Madrid*, lib. 3. c. 59. p. 380. ed. Madrit. 1629. fol.

3 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. c. 15. §. 818.

dico, latere dubio procul in numero isto annorum aut typothetæ, aut memoriæ auctoris σφάλμα, loco enim 1386. vel ille Aeræ annus, vel 1336. Christi exprimendus erat. Constans enim historicorum est assertio, defuncto jam Alfonso illo XI. A. C. 1350. Petrum Crudelem ejus filium Castellæ præfuisse regnis. Adhuc ab utroque longius recedit Alfonsus Didacus de Montalvo inferius laudandus, qui in *Commentarii*, quem *in Partitas* scripsit, fine, his, unde illis sua constet legibus auctoritas, innuit verbis: *Cujus sacratissimæ leges a Christianissimis regibus Ferdinando & Elisabetha jubentur, ut jacent, ad unguem inviolabiliter observari, reservata suæ regali majestati earum legum interpretatione*: quæ tamen verba de nova potius vigoris confirmatione, quam prima introductione, capienda esse dixerim.

VII. Superest nunc, ut brevibus dem titulum ac sciagraphiam ejus, quæ mihi ad manus est, editionis: hac illa gaudet epigraphe: *Las siete* PARTIDAS *del Sabio Rey Don Alonso el Nono, nuevamente glossadas por el Licenciado Gregorio Lopez, del Consejo Real de Indias de su Magestad, con su Repertorio muy copioso, assi del testo como de la glossa. Madrid por Juan Hasrey* 1611. fol. quatuor voluminibus. Horum primum continet *Partitarum* duas priores, alterum totidem sequentes; tertium tres reliquas, ac ultimo exhibetur *Repertorium* in universas *Partitas*, earum-

rumque glossas. Junctim totum opus complectitur 22. ut vocant, alphabeta. Notandum vero obiter heic est, editionem illam, quamvis prima fronte Madriti exhibeat nomen, in Germania tamen fuisse exsculptam, & quidem Moguntiæ typis Balth. Lippii 1610. ut in fine cujusdam illius tomi annotatum est. Memini me & in biblioth. Didaci de Arce & Reinoso, generalis per universam Hispaniam hæreticæ pravitatis Inquisitoris, & consiliarii status regii, quæ egregiis abundabat libris, cujusque catalogum typis Madritensibus apud Melch. Sanchez 1660. f. impressum ad manus habeo, Partitarum vidisse exemplar Vallisoleti una cum Lopezii scholiis 1587. fol. III. voll. excusum. Meminere etiam Geor. Draudius in *Biblio h. clas.* & Mart. Lipenius in *Juridica* alterius adhuc Antuerpiensis sumtibus heredum Mart. Nutii & Jo. Kerbergii, 1611. & 1612. in fol. impressæ, de qua tamen, utpote numquam alias visa, certi nihil statuere possum.

VIII. Opus est, ut de celebri illo jam laudato Lopezio quædam moneam. Nomen ei fuit Greg. Lopez de Tovar, ortumque ex illo ob sanctuarium Deiparæ Virginis famosissimo Extremaduræ oppido *Guadalupe* traxit. Merito in ejus se diffundit laudes doctissimus [1] Antonius; quare nimius in eis heic recensendis essem; non possum tamen,

[1] In *Bibl. Hispana nova* tom. 1. pag. 416.

men, quin unicum illud ex [1] Jo. de Solorzano, viro, quem Musa vetat mori, adducam ab illo prolatum. Sic autem iste: GREG. LOPEZIUS, *regius in supremo Indiarum senatu consiliarius, & ob eximiam utriusque juris peritiam & indefessum laborem omni sæculo commendandus, uti clamant ardua & aurea glossemata in leges* PARTITARUM, *sine quibus manca profecto Hispani fori jurisprudentia videri posset* Summa hæc LOPEZII laus est, cui a laudato viro laudari contigit.

IX. Sed nec illud nobis silentio prætereundum, in celebrem hunc Partitarum illustratorem ejusque glossemata scholium, sive brevem succinctamque erudito communicasse orbi interpretationem Doct. BARTHOL. DE HUMADA MUDARRA, ex Ronda Bæticæ seu Andalusiæ municipio oriundum. J. C. is fuit non ex infimis, collegiatæ ecclesiæ Talaverensis, Toletanæ dioeceseos canonicus, cantoris officio functus, qui satur vitæ, ipso nempe octogesimo ætatis anno ad plures abiit circa an. 1624 Dolendum autem est, scholia illa non ultra primum secundumve Partitarum glossematumque tomum progredi; lucem tamen, quæ dedit, videre Madriti apud Quirinum Gerardum 1588. in fol. prout edocemur a [2] Nic. Antonio.

X. Priori ac Lopezius loco nominari merue-

1 *De jure Indiarum* lib. 2. c. 1. n. 38.
2 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 153. pr.

ruerat ALF. DIAZ seu DIDACI DE MONTALVO, J. C. & consiliarius ac judex sub Ferdinando & Elisabetha regius famigeratissimus. Laudes illustris hujus Themidis sacerdotis intactas relinquo, præcones etenim virtutum doctrinæque nactus est [1] Ant. Quesadam, J.C. magni nominis, & [2] nostrum Nic. Antonium. Ex hoc solum ea, quæ ad rhombum heic faciunt, excerpta dabo, titulum nempe libri, quo leges *Partitarum* glossa illustrandas sibi sumserat, qui talis est: *Las siete Partidas del Sabio Rey D. Alonso el IX. por las quales son dirimidas las questiones y pleytos, que en España occurren, sabiamente sacadas de las leyes canonicas y civiles, con la glossa del insigne Doctor* ALONSO DIAZ DE MONTALVO, *e con las adiciones, emiendas e decisiones que por los Reyes successores fueron hechas, nuevamente sobre todos los exemplares hasta agora publicados corregidas e ordenadas.* Ita habet Lugdunensis Galliæ editio anni 1550. in f. regali ex Mat. Bonhomme typographia, quæ tamen editio, ut idem [3] Antonius monet, quædam adjunxit non e MONTALVI penu, leges scilicet appendicis loco quibusdam adjectas titulis e nova illa Taurinarum legum collectione, de qua inferius. Hæc autem Lugdunensis editio secuta est Complutensem, de an-

1 *Quæstionum juris*, cap. 30.
2 *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. c. 15. §. 811. seq.
3 In *Biblioth. Hisp. vet.*

anno 1542. quia antiquior fuit alia Veneta 1528. in fol. II. voll. apud Lucam Ant. de Junta Florentinum excusa, præcedente doctoris Francisci de Velasco, de quo §. sequenti, correctione, & utramque illam Hispana præcesserat, princeps forte reliquarum omnium, Burgensis nempe anni 1518. in f.

XI. Silentio quoque prætereundi neutiquam sunt, quos ipse ob primam ex septem Partitis expurgatam a mendis, puritatique ac nitori suo restitutam digno mactavit encomio Montalvus, Hier. nempe Cucalon, & Franc. a Velasco Burgasius seu forte Burgensis, uterque J. U. D. Hujus quidem *Compendium* seu *Summarium titulorum & legum* ad calcem operis totius exstat. Unde forsan in recentioribus Partitarum editionibus titulorum ac legum inscriptiones sive summaria, quæ hodie legimus iis præfixa, quis mutuavit, ut erudite hoc super argumento disserit numquam satis laudatus noster Nic. Antonius. Ipsum vero Montalvi *Repertorium* sejunctum editum est Pinciæ 1549. in fol. [1] Verderius equidem in *Supplem. Gesnerianæ biblioth.* recenset Montani *Repertorium in leges Hispaniæ* Salmanticæ apud Petr. de Castro 1540. in fol. sed idem Montalvi credo, in primis cum de Montani tali opere altum apud Antonium silentium sit.

XII. Subjungendus & his Didacus del Cas-

1 Lib. 10. c. 15. §. 817.

CASTILLO, alias de VILLASANTE, ex Molina dominii cognominis metropoli, Castellæ veteris oppido oriundus J. C. cujus *Commentaria in Partitas* MS. se vidisse, testis est eorumdem præco [1] Nic. noster Antonius. Alius ab illo diversusque est [2] DIDACUS DE VILLALPANDO Legionensis, Baccalaureus canonum in collegio veteri S. Bartholomæo sacro universitatis Salmantinæ electus die 4. Nov. 1458. post jurium creatus doctor, tandemque Ferdinandi & Elisabethæ Hispaniarum regum consiliarius. Hic & in hanc produci scenam meretur ob doctam & *solemnem*, ut vocat, *lecturam ad leg. 22. tit. 1. Part. VII.* de pacto sive transactione super delictis celebranda: quam edi curavit Legione, seu, ut alibi legimus, Pinciæ, (ubi & 1574. excussum in f. ejusdem *Repertorium* fuisse asseritur) 1552. fol. Testem rei producimus, [3] Franc. Ruiz de Vergara & Alava, qui de vita Didaci de Anaya Maldonati, archiepiscopi Hispalensis, & historia fundati ab eo collegii illius Salmanticensis doctissime singulari libro est commentatus: quocum consentit noster [4] Antonius.

XIII. Commentatus etiam ad quamdam Par-

1 In *Bibl. Hisp. novæ* indice ultimo *Materiarum.*
2 In catalogo biblioth. Did. de Arce & Reinoso.
3 *Vida del Arzobispo D. Diego de Anaya Maldonado, y historia del Colegio viejo de S. Bartholomé en Salamanca.* Madrid 1661. f. pag. 120. §. 121.
4 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 249. a. m.

Partitarum partem est GASP. de HERMOSILLA J. C. alio haud nobis cognitus titulo, additiones is, notas & resolutiones ad *Glossas* Greg. Lopezii super V. *Partitam* scripsisse fertur, ab auctoris filiis Joanne & Sebastiano Baeza editas 1634. in f. II. voluminibus. Reliqua ejus auctoris, ut ut ab editoribus promissa, in lucem publicam nondum prodiere. Hæc omnia sola [1] Antonii fide damus. Plures sunt Hispaniæ JCtorum, qui ad quasdam solum Partitarum leges speciatim fuere commentati, inter quos præcipuo numerandus loco CL. Jo. GUTIERREZ J. C. cujus laudes non reticebimus, cum ad novissimam ventum erit Compilationem. Scripsit enim is inter alia erudita tractatum ad leges regias, quæ titulo XVI. Partitæ VI. habentur, *de Tutelis nempe & curis minorum, deque officio & obligationibus tutorum ac curatorum, ipsorumque mercede*, quod opus primum Salmantinis prodiit typis 1602. in f. recusum in Germania, Francofurti puta 1606. f. & 1650. itidem in f. Lugduni. Prodiit & una cum Pauli Montani & Borgnini Cavalcani ejusdem argumenti operibus Taurini Sabaudiæ metropoli 1611. f. si [2] Lipenio fides.

XIV. Similiter & singulare quoddam

C o-

1 In *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 403. b.
2 In *Biblioth. juridica* passim. Conf. Antonii *Hispanam* tom. 1. p. 540. b. m.

opuſculum ad illuſtranda Partitarum quædam loca conducens, militare ac juridicum meditatus eſt ANT. ALVAREZ, civis Beatienſis. Titulum ejus libri nobis ſuppeditat [1] Antonius talem: *Tratado ſobre la Ley de la Partida, de lo que ſon obligados a hazer los buenos alcaydes, que tienen a ſu cargo fortalezas y caſtillos fuertes.* Editum autem eſt illud opus Valliſoleti 1558. in 8. Pluris æſtimandus eſt JO. MARTINEZ DE OLANO labor. Navarrus is gente, ex Stella oriundus urbe fuit, ac in ſuprema Caſtellæ curia Madritenſi advocati non ſine laude officio functus. Perornavit is *Partitas* libro ſingulari, quem *Antinomiis*, infra ſuo recenſendis loco, adjecit, titulo hoc decorato: *Epilogus legum VII. Partitarum, quæ per alias leges poſteriores, & per deſuetudinem aut contrarium uſum in totum, vel in partem correctæ ſunt, atque abrogatæ inveniuntur.* Utrumque opus, *Antinomiæ* nempe, & *Epilogus*, editum fuit Burgis 1575. f. Denique & ultimo his ſubjungendus loco, qui haud inutilem illuſtrandis *Partitarum* legibus navavit, operam PETRUS NUÑEZ DE AVENDAÑO, in cujus laudibus adhuc inferius occupabimur. Scripſit enim is *Dictionarium Hiſpanum vocum antiquarum, quibus Partitarum leges & aliæ regiæ conſtitutiones utuntur.* Opuſculum hoc una cum reliquis auctoris volumine poſt ipſius

1 *Biblioth. Hiſp. novæ* tom. 1. pag. 75. b. m.

pſius obitum a Didaco filio haud degenere, primum in regia Caſtellæ curia Madritenſi cauſarum patrono, Limenſis dein in America ſenatore editum eſt Salmanticæ 1573. in f. Et ſic quoque gloſſatores commentatoresque celeberrimi hujus legum Hiſpanarum ſyſtematis, quantum per virium licuit imbecillitatem, perluſtravimus.

XV. Progredimur ergo ad aliud ejuſdem Sapientis Alfonſi Regis opus, Fori Regii (ſeu Fuero Real) titulo inſigne. Legi merentur, quæ circa illud annotarunt hiſtorici illorum æque ac recentiorum temporum, inprimis [1] Did. Ortiz de Zuñiga, & [2] Antonius noſter, ex quo præcipua breviter annotata dabimus. Ait ille, diu Forum iſtud præcipuum Caſtellæ ac Legionis regnorum jus continuiſſe, primumque ejus gloſſatorem fuiſſe Vincentium Ariam de Balboa ſeu Valbuena J. C. ſuo tempore clariſſimum. Fuit is patria Gallæcus, archidiaconus Toletanæ eccleſiæ, ejuſdemque archiepiſcopi, viri ſummi, Petri Tenorii conſiliarius & amicus ex intimis, tandemque, non Palentinus (ut [3] Montalvus quidem credidit) ſed Placentinus antiſtes jam ante annum 1404. conſtitutus. Merito eum mactavit elogio Ferd. Perezius de Guzman in libello illo *de los*

 *cla-*

1 *Anales de Sevilla*, lib. 2. ad. A. C. 1284. num. 1.

2 *Biblioth. Hiſp. vet.* lib. 10. cap. 1. §. 55. pag. 131. b. m.

3 In præfat. *Gloſſæ ad Forum* hoc *Regium.*

*claros Varones*, [1] quem suæ Joannis II. Caſtellæ Regis hiſtoriæ adjecit, apud quem & obiiſſe legitur anno 1414. & in cathedrali, cui præfuerat, ſepultus. Gloſſa ejus in hunc noſtrum Forum, quam ſermone vernaculo ſcripſerat, lucem non vidit, exſtat tamen manu exarata in Toletanæ eccleſiæ ſcriniis, teſte Cl. [2] Jo. Narbona; alium etiam ejuſdem gloſſæ codicem, ejuſdemque cum auctoris ARIÆ, ut ex charactere liquet, ætatis poſſedit ſupra in noſtræ opellæ præfatione laudatus, numquam ſat laudandus, Jo. Lucas Corteſius ὁ μακαρίτης. Evolvi quoque de ARIA noſtro meretur Aegidius Gonſalez de Avila in *Theatro Eccl. Placent*. to. II. pag. 480. edit. Madritenſi 1647. fol.

XVI. Excepit hunc Ariam ſupra jam nobis laudatus ALFONSUS DIDACI, ſive DIAZ A MONTALVO, cui & præter alia doctiſſima ſcripta *el Fuero Real gloſsado* debemus. Audiamus, quæſo, ipſa [3] Antonii noſtri eleganiſſime pro more de hoc opere diſſerentis verba: *Collectio hæc eſt*, inquit, *legum Hiſpanicarum omnium, ſi demas Gothorum Regum conſtitutiones, quas Forus Judicum complectitur, antiquiſſima vulgari ſermone promulgatarum ab Alfonſo Rege Caſtellæ & Legio-*

1 Lib. 5. c. 11. pag. m. 320. a. fin. edit. Madritenſis 1678. in fol.

2 In lib. *de appellatione a vicario ad episcopum* parte II. fundam. 5. num. 19.

3 *Biblioth. Hiſp. vet.* lib. 10. cap. 15. §. 813.

*gionis hujus nominis ultimo.* NB. Differt heic circa illarum legum auctorem Antonius noster ab Ortizio, dum hic X. ille XI. Alfonsum ponit; ego quidem σφάλμα typothetæ apud [1] Antonii locum irrepsisse crediderim, cum ipse alibi Alfonsum X. Sapientem ejus auctorem ipsis Montalvi verbis profiteatur. Hæc obiter. Pergit idem.

XVII. *Inserta huic commentario* MONTALVUS *duo voluit opuscula a se olim elucubrata: prius circa perduellionis cujusdam Daciæ comitis pœnam, Joannis II. Regis jussu scriptum,* & tit. IV. lib. XI. *hujus* FORI REGII *adjunctum. Posterius* de Judæis ad fidem conversis ad officia publica & ecclesiæ honores promovendis; *quæ Toleti quæstio per illos dies agitata fuerat; quod opusculum ille itidem regio mandato editum Commentariis* leg. 2. tit. III. lib. IV. *inseruit. Persuasum enim nobis est,* MONTALVUM sub *Rege Joanne II. hoc opus compilasse, regioque senatori Ferdinando Didaci primum exhibuisse, diuque postea in multis auctiora commentaria iterum sub Catholicis Regibus, ut ex præfixo his prologo apparet, edidisse, nec tamen quidquam ex iis, quæ jam olim inibi legebantur, mutasse, unde factum, ut Joannis II. Regis mentio tamquam adhuc viventis illic permaneret.* Hæc noster Antonius. Ad codices illius operis MSS. quod ati-



1 Lib. X. c. 1. §. 56.

tinet, memini exstare in [1] Ant. Augustini bibliotheca jam superius laudata ALFONSI DE MONTALVO *Commentarios in Forum Regium Hispaniæ* seu Castellæ ab Alfonso Rege IX. constitutum, in libro chartaceo C. & ultra, tunc cum catalogum ipse conficeret Augustinus, annorum in forma folii exarato. Editiones ejusdem typis impressas quod spectat, primum hoc opus editum creditur Salmanticæ 1500. ibidemque rursus 1543. in f. ut [2] alibi notatum reperi. Medinæ item Campi apud Guil. de Milis 1544. fol. & rursus Salmanticæ apud Jo. Bapt. Terranovam 1569. in f.

XVIII. Iterata jam celebris hujus MONTALVI facta mentione non possum, quin tertiam quoque ejusdem hujus argumenti prolem, opus nempe juridicum apponam, cui hic titulus est: *Secunda Compilatio legum & ordinationum regni Castellæ, quæ a Regibus Hispaniæ in generalibus curiis conditæ & promulgatæ fuerunt usque ad serenissimum Regem Ferdinandum, & serenissimam reginam Elisabetham laboriose & utiliter compilatæ, & abbreviatæ, ac de idiomate* (vernaculam linguam intelligit) *in Latinum translatæ.* Hispali 1496. in f. Nobis id operis videre numquam

1 In MSS. Latinis n. 445.

2 In Catal. BBæ. Didaci de Arce & Reinoso inter libb. JCtorum n. 317.

quam contigit, explicabimus tamen [1] Antonii verbis, quid eo contineatur. *Est nimirum index alphabeticus verborum juris, adjuncta singulis verbis regia, quæ circa rem exstabat, constitutione, una cum glossis & additionibus ex utroque jure depromtis.*

## SECTIO III.

## *DE ORDINAMENTO, LEGIBUS TAURI, STILI, ET PRAETORUM.*

I. POst Partitarum tempora ad Ferdinandi usque Catholici ævum nihil memoratu dignum in historia juris Hispani accidit, quin Partitis suus semper honos & vigor mansit. Id tamen silendum minime est, quod apud maximæ inter suos & famæ & auctoritatis virum, Jo. Franciscum Andream de Uztarroz, Philippi IV. Regis ac Aragonum regni historicum nuper me legisse memini in pererudito, quod ejus, quoad virtutes æque & doctrinam, atque officium munusque successor publicavit, opere [2] *Progressos de la historia en el Reyno de Aragon* dicto, de Foro quodam veteri regni Castellæ,



1 Loc. cit.
2 Lib. 1. c. 1. §. 2. pag. 2. edit. Cæsaraugust. ap. Didacum Dormer. 1680. fol.

EL FUERO VIEJO DE CASTILLA dicto, quod Alfonsus IIX. seu IX. qui Ubetensem urbem a Mauris recepit cum Eleonora conjuge A. C. 1212. dicasteriis Castellæ præscripserat: qui liber juris etiam ad Partitarum usque tempora in vigore mansit. Cum autem illo tempore sapiens iste Rex Alfonsus jus novum conderet, status Castellæ, quos tum communi vocabulo *Ricos Hombres*, hodie *los Grandes de España* vocant, petiere, ut ipsis eorumque subjectis & vasallis antiquo illo Foro porro uti, & juxta illud lites causasque coram judicio decidere concederetur, quod & factum, injunctumque a Rege senatui Burgensi (metropolis ea est urbs Castellæ veteris in Arevacis sita) ut perpetua illius una cum Alfonsino suo jure auctoritas & vigor in tribunalibus esset. Regnante post illa tempora Petro, aut Justi, aut Crudelis cognomen merito, Alfonsique ultimi filio, vetus istud Castellæ Forum A. C. 1356. in ordinem sub certos titulos V. libris contentos redactum digestumque fuit. Miratio autem mentem subit, qui factum, qui fieri potuerit, neminem omnium aut Alfonsi IIX. aut Petri Crudelis historicorum, quos nobis quidem perlustrare licuit, vel minimum ejus Fori legumve nobis reliquisse vestigium, contenti ergo sola diligentissimi Uztarrozii hæc fide protulimus.

II. Prodiere postmodum sæculi abhinc secundi præterlapsi initio augustissimorum Ferdi-

dinandi Catholici & Elisabethæ Regum juſſu & auſpiciis ORDINATIONES, ſeu, ut vulgari ſermone audit, EL ORDENAMIENTO. Regiæ hoc vocabulo indigitantur leges Hiſpanorum, quæ variis de cauſis poſt Alfonſinum illud jus fuerant promulgatæ. Compilavit illas jam ſæpius nobis memoratus ALF. DIAZ DE MONTALVO, & in unum volumen, libros autem octo ſcite digeſſit, titulo operi præfixo: EL ORDENAMIENTO REAL. Quin & *Gloſſas* quoque ſeu *Commentarios* iiſdem adjecit, & *Additiones*, itemque *Repertorium* ſuper eaſdem leges. Prodiere illa omnia junctim uno comprehenſa volumine Hiſpali apud Meynardum Ungut Alemannum, & Stanislaum Polonum 1496. in fol. quæ editio eſt omnium prima. Salmanticæ recuſum poſtea idem eſt opus 1549. & iterum Compluti 1565. apud Seb. Martinez in f. & rurſus Compluti apud Andr. Angulum 1567. itidem in f. Conf. Nic. Antonium noſtrum paſſim in *Vet.* & *nova biblioth.*

III. Commentatorem nactæ ſunt leges illæ haud ignobilem, DID. nempe PEREZ DE SALAMANCA, in cognomine academia ſexti Decretalium profeſſorem. Edidit namque is inter alia *Commentarium in IIX. libros Ordinationum regni Caſtellæ*, qui lucem vidit Salmanticæ 1574. ſeu, ut [1] alibi legimus, 1575.

f.

1 In Catal. biblioth. Reinoſianæ jam ſupra ſæpius citato.

f. II. voll. summo viro Did. Leivæ de Covarruvias, Segoviensium episcopo, & regii Hispanici summi senatus præfecto, Themidis Hispanæ venerando [1] antistiti, eidemque meritissimo inscriptum. Verderius tamen in *BBæ. Gesnerianæ supplemento* meminit Perezii *Commentarii in I. partem Ordinamenti*, Salmanticæ apud Mariam de Terranova 1560. f.

IV. Ad hunc nostrum Perezium rursus commentatus est, *Additiones* conscribendo ad II. ejus *Commentariorum* partem Ant. Ramirez de Mendoza, cujus ex [2] Aegidio Gonsalez Davila mentionem facit [3] Nic. noster Antonius: num autem lucem publicam illæ viderint, nobis certo non constat. *El Ordenamiento Real* integrum quoque ac notis illustratum propriis edidit Mich. de Cifuentes. Gijone Asturiæ oppido oriundus, J. C. ac civis Ovetensis (*Oviedo* Asturum metropolis). Excusum opus illud Medinæ (seu, ut alii scribunt, Methymnæ) Campi prodiit anno 1555. f. eodem nostro [4] Antonio teste.

V. Petrus etiam Nuñez, sive Nonnii de Avendaño sub Carolo I. Hispaniarum Re-

1 Nic. Antonius in *Bibli. nova* tom. 1. lit. D.

2 In *Historia de la ciudad de Salamanca*, ibid. edita ap. Arthurum Tavernier 1606. 4. libro oppido raro; & in *Theatro ecclesiastico de Castilla* tom. 1. antiquo, in Eccl. Salmantina.

3 In *Bibl. novæ* tom. 1. pag. 123. a. m.

4 Ibid. tom. 2. pag. 105. b. fin.

Rege, Imperatorum Romanorum eo nomine illustrium V. JCtus causarumque patronus uno omnium ore præstantissimus. Ejus huic, de quo agimus, commode inservientia argumento prostant: I. *Tractatus de secunda supplicatione cum pœna & cautione 1500. duplarum, ad legem nempe Segoviensem, quæ in Ordinationum volumine est 58. tit. IV. lib. II.* Adjunctus II. *Tractatus primi & secundi decreti circa intellectum leg. I. tit.* de los Assentamientos, *lib III. Ordinamenti.* Item III. *Declaratio legum tit. IV. & V.* de las Exceptiones, *lib. III. Ordinamenti,* circa singularem lecturam Roderici Xuarez, quam inseruit *Commentario* in leg. *Post rem judicatam π. de re judic.* Prodiere illa junctim uno volumine Compluti 1543. in 4. & cum reliquis ab auctoris filio Didaco editis operibus Salmanticæ 1573. in f. Speciatim quoque *ad legem Reg. 5. tit. III. lib. VII. Ordinamenti Prælectiones* scripsit, dum juvenis adhuc causam tueretur amici, Lud. Messias Ponce de Leon, J.C. in Utra, nobili Bæticæ, & quidem conventus Hispalensis, oppido natus, anno 1524. aut circiter, nullis, quod quidem nobis innotuerit, in Rep. muneribus clarus. Opus autem, quod huc referendum, tale est: *In legem Regiam Toleti conditam sub tit. III.* de los proprios y rentas de los concejos, *quintam lib. VII. Ordinamenti, in causa vertente a responso Prælectiones.* Hispali, apud Alf. Garsiam Escrivano, anno 1568. in f. Tem-

VI. Temporis nunc ratio exigit, ut & aliquantulam heic demus LEGUM TAURI sive TAURINARUM notitiam. Celeberrimæ illæ sunt, & JCtis præsertim Hispanis continue citatæ. Originem illæ acceptam ferunt eidem, cui *Ordinationes Regiæ*, auctori; magno nempe ac Catholico illi Hispaniarum monarchæ, Ferdinando V. Ansam rei hanc accepimus. Ad superos circa anni 1504. exitum emigraverat serenissima Ferdinandi conjux, femineum virtute ac prudentia supergressa sexum, Elisabetha: Ejus igitur excessu, omni deficiente mascula progenie, successionis jure regnum in Joannam filiam, infelicem illam animi dotibus augustissimi Caroli Imperatoris matrem, devolvebatur; e re ergo erat ad stabiliendam ei firmandamque Imperii sedem in publicis regni statuum comitiis omnium subjectorum nomine regni proceres fidem obsequiumque solemni jurejurando astringerent. Quem in finem Ferdinandus illos in oppidum Legionis regni *Toro* dictum, antiquitus, ut [1] nonnullis placet, *Sarabis*, convocavit, ibidemque solemni ritu regno filiam inauguravit. Quidquid illis de comitiis, rebusque ibidem gestis dici commemorarique potest, profunde, ut solet, hausit Aragonicæ historiæ lumen, ma-

1 Rod. Mendez Silva in *Poblacion general de España* pag. 21. col. 2. & auctores ibi. cit.

magnus [1] Zurita, cui [2] Garibayus & [3] Mariana, commentatores rerum Hispanarum, maxime seduli adjungi omnino merentur.

VII. In illis ipsis ergo comitiis *Taurinæ* sive *Toro* in urbe habitis post peracta illa solemnia, etiam de legibus cogitatum est. Librum igitur, qui *Quaderno* Hispanis audit, confici promulgarique, & legum instar coli observarique mandavit Ferdinandus. Ea de re consulendi sunt historiæ Hispanæ antesignani [4] Zurita, [5] Garibayus, [6] Mariana [7] Rod. Mendez de Silva, [8] Clemens, [9] Diego de Colmenares, qui leges illas viva adhuc Elisabetha compositas asserit. Exstat inter curiæ [10] Granatensis ordinationes, quarum postea fiet mentio, Ferdinandi Catholici ad cancellariam sive prætorium illud epistola, qua, ut adjunctum ei codicem legum Taurinarum membranaceum regia signatum manu religa-

1 *En la vida y hechos del Rey D. Hernando*, (quæ est operum &c. Annalium Aragoniæ tomus VI.) lib. 5. cap. 23. & 4.

2 *Compendio historial de España* lib. 20. cap. 7. princ. pag. 1444.

3 *Historia de España* lib. 22. cap. 13. m. princ.

4 In *Vita Regis Ferdinandi* operum tomo VI. lib. 6. c. 2. & 3.

5 Lib. 20. cap. 7. pr. pag. 1444. m.

6 *Historia de España* lib. 28. cap. 13. pr. pag. 257. a. m.

7 *Poblacion general de España* cap. 24. fin. pag. m. 21. b.

8 In *Tabulis chron.* ad ann. 1505. fol. 144. a. m.

9 *Historia de Segovia* cap. 36. §. 2. pag. 449. a.

10 *Ordenanzas de Granada* fol. 25.

gari, sigilloque muniri plumbeo curaret, injungebatur. Scripta erat epistola illa in urbe Toro ad diem 8. Aprilis. 1505. additurque inibi, leges illas *en el arca del acuerdo*, seu in scriniis diplomatum sigillo injecto plumbeo condi. Aliud quoque ejusdem Regis illic legitur rescriptum ad eamdem curiam 1 Hispali die 30. Martii 1511. missum, quo plena legibus hisce Taurinis in omni causarum processuumque genere auctoritas & vigor, generalium regni legum ad instar, conciliatur.

VIII. Ut vero succincte notemus ordinem, qui tum temporis inter leges vigoris auctoritatisque respectu obtinuit, id ex 2 Francisco de Aviles notandum est, ex lege I. *Tauri*: causas primo determinari in judicio debere ex *Taurinis*; si per illas id fieri nequeat, juxta *Ordinamentum* & *Pragmaticas*, licet in usu illæ non sint, nec observatæ alias fuerint; sin minus & ex his, ad *Forum Legum Regium*, vel ad *Municipales Foros* cujusque urbis ac oppidi pergendum, dummodo illi generalibus regni legibus non adversentur; ultimo demum loco ad leges *Partitarum* recurrendum esse. Conferendus & heic est textus in leg. 6. tit. I. lib. II. no-

1 Eædem fol. 37. b.

2 In *Glossa ad LL. Prætorum* inferius citanda fol. 204. col. 4. pr. cui omnino addendus Gomez *ad LL. Tauri*, ad leg. 1. n. 1. pag. m. 5. 2.

*novæ Compilationis*, ſive *de la nueva Recopilacion*, ubi quoque plenum legibus his Taurinis robur conciliatur. Tandem & id obiter advertendum duco; falli me judice, optimum noſtrum Nic. Antonium, cum Taurinas has leges a Joanna Caroloque filio [1] Imperatore promulgatas aſſerit, cum illius rei gloria ad ſolum Ferdinandum illius avum, matremque Joannam aliqua ex parte pertinere, jam ſupra evictum ſit.

IX. Sed nos alio nunc vocat inſtituti noſtri ratio, progredi enim ad editores commentatoresque iſtarum legum oportet. Primus ex illis nobis obvius fit Ant. Gomezius, J. C. & profeſſor juris civilis Salmantinus, vir ſcriptis æternitatem meritus. Patriam habuit Talaveram, Toletanæ dioeceseos oppidum, & docendo in Salmantina academia vitæ tempus exegit. Dignis eum laudibus encomiisque mactat [2] Antonius noſter, qui & ejus *Commentarium in leges Taurinas* Salmanticæ 1555. rurſus ibidem 1598. f. excuſum laudat, & ad illum rurſus *Additiones* ſcripſiſſe Did. Gomez Cornejo J. C. Gomezii nepotem, & juris civilis profeſſorem primar. Oſſunenſem, hujuſque ducis judicem in cauſis appellationum alibi [3] aſſerit. Has primam aſpexiſſe credo lucem Venetiis ad

ſic

1 *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. c. 15. §. 819. f.
2 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 95. & 99.
3 Ibid. pag. 96. a.m. & pag. 219. b. pr.

signum columbæ 1591. in 4. & rursus Salmanticæ 1598. in f. Junctim quoque deinde cum ipso GOMEZII *Commentario* prodiere Lugduni 1602. f. Genevæ item ap. Alex. Pernet 1607. f. Antverpiæ 1624. f. & Francofurti opera Jo. Bapt. Cæsaris J. V. D. & syndici Francof. apud Nic. Bassæum, 1591. f.

X. Præcesserat Gomezium tempore, & ob id primo nominandus erat loco DID. DEL CASTILLO, cujus supra jam, cum de Partitarum commentatoribus sermo erat, meminimus. Edidit is *Commentaria* sua *in leges Taurinas* Burgis primum 1527. f. posteaque Medinæ Campi ex officina Guil. de Milis 1553. itidem in f. Excipit hunc, si temporis sequimur ductum, MICH. DE GIFUENTES, de quo itidem supra jam sub *Ordinationum* titulo egimus. Hujus exstat *nova lectura seu declaratio legum Taurinarum* Salmanticæ excusa typis Jo. Juntæ 1536. in f. & Medinæ iterum 1555. in f. Eadem quoque vernaculo Hispanorum idiomate prodiit Medinæ Campi apud Petrum Guesta 1546. in f. hoc titulo: *Glossa al Quaderno de las Leyes nuevas de Toro*, teste nostro [1] Antonio.

XI. In hac quoque desudavit palestra JO. LOPEZ DE PALACIOS RUBIOS, cujus itidem jam superius facta est mentio. Is enim *Glossemata ad leges Tauri* scripsit, quæ tamen

men

1 *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 210. a. pr. & tom. 2. pag. 105. b. fin.

men inter minoris operæ ejus scripta reponit [1] Antonius. Prodiere illa Salmanticæ apud Jo. Juntam 1542. edita in f. Nec sine successu hoc sulcavit æquor FERD. GOMEZ ARIAS, Ant. Gomezii civis; *subtilissimam* enim (ut titulus habet,) *& valde utilem glossam ad famosissimas, subtiles & necessarias ac quotidianas leges Taurini* [2] Compluti edi curavit anno 1546. in f.

XII. Vastum quoque in *Taurinas* istas leges meditatus est opus, licet ad finem non perductum, nec citra molem integræ quoque bibliothecæ, ut [3] Antonius censet, absolvendum, MARCUS SALON DE PAZ Burgensis, alias BURGOS DE PAZ dictus, J. C. ac in Pinciana seu Vallisoletana curia advocatus. Specimen seu primordia integri operis publicæ exposuit luci hujus tituli volumine, *Ad Leges Taurinas insignes commentarii.* Continet primus iste operis tomus quatuor exactissimas Relectiones, Taurinarum namque prooemium & tres priores leges solum grandiori illo ac solido volumine est interpretatus, Pinciæque illud edi fecit anno 1568. in f. apud Franc. Fernandez de Corduba. Ejusdemque auctoris quoque *Consiliorum L.* volumen edidit postumum Didacus filius Medinæ apud Franciscum a Canto 1576. in f.

 hac

1 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 551. a. pr.
2 Ibid. pag. 287. a. fin.
3 In *Biblioth. nova* tom. 2. pag. 70. a. fin.

hoc titulo: *Consilia resolutissima cum summariis*, Verderio teste.

XIII. Producimus in hanc quoque scenam Lud. Velasquez de Avendaño, insignem inter suos J.C. Professoriam is primum exercuit artem in alma Complutensi; forum deinceps ingressus, causarum egit patrocinium in curia Vallisoletana advocatus; *Glossam* is *Taurinarum Legum* ordinaria methodo composuit,[1] Toletique illam prelo excudi fecit anno 1588. in f. Meditatus etiam post plurium interpretum exantlatos labores solidum tribus absolvendum partibus in *Taurinas Leges* dare *Commentarium* Jo. Guillen seu Guilielmus de Cervantes, Hispalensis, & in academia patria canonum doctor & professor, ac patrius ad habita sub Philippo II. Rege Madriti regni comitia anno 1586. missus procurator. Priorem attamen tomum dumtaxat, fati injuria, absolvit, in sedecim priores Tauri leges ornate magis, quam vulgo fieri assolet, commentatus. Prodiit ille Madriti 1594. in f.

XIV. Imperfectum quoque, sed illustribus tamen JCtis laudatum in has leges opus scripsit Tellus Fernandez Messia, Emeritensis, in curia Granatensi summæ existimationis advocatus. Commentatus autem est ad priores XXXIIX. *Tauri* leges, exceptis

1 Antonii *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 55. a. pr. & tom. 1. pag. 540. a. pr.

ptis I. & II. quas non attigit. Primo illud opus prodiit Granatæ 1566. in f. Madritique recusum est 1595. in f. Primam hanc integri vastique operis partem statuerat auctor. Secundam enim de *Primogenitorum legibus*, tertiamque de reliquis meditabatur, sed morte præventus non nisi primum, quem jam laudavimus, absolutum dedit. Encomia si quæris hujus auctoris, plura suppeditabit [1] Antonius noste. Tandem nec FRANC. DE VERGARA omittendus est; cetera quidem vix notus, nisi quod *Consilia* nonnulla & *Adversaria* quoque ad leges *Taurinas* composuit, quas scriptas manu asservari in volumine in f. catalogus [2] Olivariensis & bibliographi testantur. Sed sufficiat, hæc de *Tauri* protulisse legibus; ad reliqua etenim properandum est.

XV. Commoda heic loci de LEGIBUS STILI pauca disserendi nobis sese effert occasio. Audiamus de illis [3] Antonium nostrum, qui eleganter pro more: *Per* STILUM, ait, *intelligenda est collectio quædam legum Hispanarum, quæ ab antiqui* Fori Legum *promulgatione in regno Castellæ, non quidem, ut Christophorus Pacius, qui in eas commentatus est*, & mox laudabitur, *prodidit, a Sanctio & Ferdinando IV. utroque Regibus Hi-*

 *spa-*

1 In *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 237. a.
2 Idem in ead. tom. 1. pag. 378. fin. & 379. pr.
3 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 190. b. m.

*ſpaniarum, promulgatoribus, in tabulas juris relatæ ſunt, ſed a quodam juris & forenſium rerum perito auctoritate privata in hoc volumen redactæ, ut, in quibus diſcederet novus fori curiæque regiæ ſtilus ab editis olim legibus ſui temporis homines admoneret. Atque hæ quidem leges magna ex parte in noviſſimam* (qua de poſtea loquemur) *Compilationem, quæ Philippi II. Regis tempore ordinata eſt, & in hoc ipſo aliquando locupletior facta, receptæ ſunt.*

XVI. Ortum illarum legum in annum Chriſti M.CC.XV. vel circiter rejicit [1] P. Cl. Clemens, & poſtea circa annum 1310. perfectas eaſdem aſſerit. [2] Quo autem hæc ejus aſſertio nitatur fundamine, equidem ignoramus. Vix alium quoque earumdem, qui quidem fama notus ſit, harum *Stili* legum novimus commentatorem, ac celeberrimum illum jam memoratum Christ. de Paz, Salmanticenſem, decurionem urbis patriæ, ejuſdemque ad comitia regni Madritenſia, ſub Philippo III. Rege, miſſum procuratorem, ex quo tempore Cantabris ſupremus judex ab eodem Rege datus (*Juez mayor de Vizcaya* patrio ſermone audit) ac demum curiæ Vallisoletanæ ſenator conſtitutus *Scolia* ſua *in Leges Stili regias* Sandovalio Lermæ duci, intimoque Philippi III. ſtatus miniſtro (Hiſpanis *el Pri-*

1 In *Tab. chronol.* pag. 153. a.
2 Ibid. pag. 137. b. m.

*Privado*, Gallis *le Favori* dicto) inscriptas publicavit [1] Madriti 1608. in f.

XVII. Nec intactæ nobis relinquendæ sunt leges illæ, sive CAPITA PRAETORUM, ut vocantur. Ferdinandus quippe & Elisabeta Hispanorum Reges publicari anno M. D. ad diem 9. Junii Hispali curarunt capita nonnulla circa prætorum ac judicum per Hispaniam officium. Editæ ille leges cum amplissimo fuere *Commentario* a doctore FRANC. DE AVILES. Mombeltranensis is est, ex Abulensis Castellæ veteris episcopatus oppido oriundus, J. C. & per longam annorum seriem illustrissimi comitis Alburquercani, Gabrielis de la Cueva, Navarræ tum proregis, consiliarius. Liber ejus, quem hoc super argumento conscripsit, hoc insignis titulo prodiit: *Nova, diligens ac perutilis expositio capitum seu legum prætorum ac judicum syndicatus totius Hispaniæ regni*; prodiitque altera, ut credo, editio (priorem quidem numquam videre mihi contigit) auctior emendatiorque, ut titulus præ se fert, Salmanticæ apud Dominic. a Portonariis, sumtibus Vinc. a Portonariis 1571. f. octo circiter, ut vocant, alphabetis. Regulæ sunt, (ut & quid hoc in libro lateat, sciamus) quas Catholici illi Reges urbium prætoribus seu correctoribus (*Corregidores* vulgo) nec non judicibus syndicatus ad observandum proposuerant. No-



1 Anton. *Bibl. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 190. b. m.

tari autem & heic obiter meretur, quid per judices illos syndicatus intelligendum sit. Vernaculo sermone *Jueces de residencia* dicuntur, suntque judices a rege constituti, ut assessorum (*de los Assistentes*) & correctorum (*los Corregidores*) actiones inquirant, gestique ab illis magistratus rationem petant: exacto enim magistratus horum biennio, *residentiam* ipsi *facere* (*hacer residencia*) id est, coram syndicatus judice se sistere, qui eorum officii rationem ineat, & prout quoque ab illis recte minus gesta sunt, accurate perquirat, tenentur.*Illæ autem judicum leges *Prætorum*que *Capita* a Philippo II. postmodum in novam *Recopilationem*, seu ultimam legum Hispanarum compilationem (qua de mox agemus) congestæ sunt, illicque tit. 6. lib. III. pag. 258. seqq. ultimæ editionis anni 1640. habentur.

XVIII. De *Syndicis Syndicatus*que illo officio, ut hoc quoque obiter admoneamus, præter Italos, qui plura de gerendi (prout ipsorum moribus legibusque convenit) muneris illius ratione scriptis tradiderunt, speciali nonnulla tractatu exhibuit Jo. DAS CHAGAS Lusitanus, ordinis minorum reformati provinciæ *da Rabida* dictæ. Illius si placet nosse encomium, legatur [1] Fr. Lucas Waddingus, Menapiensis Hibernus in docto suo opere *de Scriptoribus ordinis minorum*. Titulus, quem li-

[1] Romæ 1650. in f. edit.

libro illi inscripsit noster, est: *Apolegeticus de usu syndicorum*, editusque est Ulyssipone apud [1] Ant. Alvarez 1630.

XIX. Jo. item GALLEGO, J.U.D. theologiæ licentiatus, ut vocant, & in Cataloniæ senatu judex primarius, *Responsum* aliquando dedit *in causa Syndicatus*, quod typis publicis impressum prodiit Cæsaraugustæ in 4. quo anno, non memini, nec [2] Nic. noster Antonius annotavit. Quin & Jo. SESSE J. C. suæ gentis & ævi famigeratissimus heic memorandus venit. Dertusæ is in Catalonia patre natus Laurentio, matre Hieronyma Piñol. Cæsaraugustæ litteris, Ilerdæ jure imbutus, eadem & illic ex cathedra docuit æque ac Cæsaraugustæ; a Philippo II. Rege ibidem regni curiæ judex ordinarius (*Lugarteniente* vulgo appellant) constitutus per dodecaennium eo munere functus est, cum ad dicasterium seu audientiam Regiam ibidem rerum primo criminalium, post & civilium, tandemque in supremam Aragonicæ coronæ curiam, quæ Madriti versatur, consiliarius evocaretur. Ejus circa potestatem *Justitiæ Aragoniæ* perdocto operi, (ut ad scopum



1 Teste Nic. Anton. in *BBa Hisp. nova* tom. 1. pag. 514. a. fin.

2 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 530. b. princ. Conf. elogium ejus ap. Jo. Petr. Fontanellam in variis locis, & Gabr. Berart in *Speculo visitatorum*, ubi Gallegum nostrum aulæ regentis cancellarium senatorem clarissimum, omniumque doctrinarum studiosum vocat.

pum revertamur) adjunctum in fine est *Consilium de syndicatu*, in quo, teste nostro 1 Antonio, materia ista accurate discutitur. Prodiit utrumque opus Barcinone 1608. in f. & iterum Francof. 1615. apud Palthenios in f.

XX. Tandem & paucis adhuc monendum restat, exstare LAS ORDENANZAS REALES DE CASTILLA, sive edicta & constitutiones regias, temporum successu antiquitus ad Caroli usque V. Imp. ævum latas, uno junctim volumine editas Medinæ Campi 1541. in fol. quæ tamen postmodum cum reliquis ejus generis in novæ jam memorandæ compilationis systema conjectæ fuerunt.

# SECTIO IV.

## *DE ULTIMA LEGUM HISPANARUM COMPILATIONE,*

SIVE

## DE LA NUEVA RECOPILACION.

I. POst recensitas, quanta fieri potuit & brevitate & diligentia antiquiores Hispanorum leges, ad recentiora nunc mentem stilumque convertimus, & quidem ad Philippi II. Regis tempora, ejusque circa leges Hispaniæ merita admiranda æque ac prædicanda progredimur. Justiniani Iberici titulo

1 Ibid. pag. 624. b.

lo elogioque condecorandus jure meritoque venit prudentissimus ille omnium Hispaniarum monarcha; cuncta etenim & singula, quæ tot jam paginarum ambage recensuimus, antiqua gentis suæ jura uno eoque sat vasto trium voluminum opere compilari, inque ordinem redigi digerive curavit.

II. Ut vero causam operis, originemque ac historiam novæ istius Compilationis ordine decenterque perlustremus, non aliis, quam summi ipsius legislatoris, pragmaticæque illius sanctionis, quæ prooemii loco operi præfixa habetur, vestigiis insistendum nobis erit: „Multitudine nimirum ac varietate legum „juriumque, quæ tum vetustioribus supra „recensitis codicibus, tum variis a Regibus „passim sparsisque vicibus latæ rogatæque, „nullo certo inclusæ digestæque volumine „continebantur, factum est, ut in nimiam „illarum farrago excresceret molem; nec id „solum, sed & maxima quandoque ex al„terius legis per alteram, eamque poste„riorem derogatione oborta confusio, incer„taque, quid de tali lege ejusque vigore & „auctoritate sentiendum, opinio prudentum „erat: quare regni procuratores (JCtorum „patriæ illi habentur primicerii) aliique vi„ri sapientes jurisque periti jam a Philippi „nostri parente, maximo illo & gloriosissi„mo Romanorum Imperatore Carolo V. eni„xe petierant, ut tantæ legum moli sub„veniret, exortæque exinde confusioni o-

„bi-

„ bicem poneret, integrum ex omnibus condendo systema, inque ordinem redacto illi novum robur, novas vires, regia auctoritate conciliando."

III. „ Justis illis sapientum precibus locum esse voluit æquissimus Imperator. Suasu ergo consiliariorum expurgandum illud legum (ne dicam Augiæ) stabulum studio fideique commisit doctoris Petri Lupi seu Lopez de Alcocer, curiæ Vallisoletanæ advocato, jurisperitorumque illo ævo ad id operis vel maxime idoneo. Verum tantæ molis opus non unis illius humeris par erat, anteque is vitæ, quam labori coronidem imponebat. Ejus ergo ut suppleret vices in perficiendo arduo illo ac improbi laboris opere doctor Escudero, consiliarius regii, camaræque senatus, augustissimus mandaverat Carolus. Sed nec huic sat longa neverant stamina vitæ Parcarum manus, quin morte præventus lampada alii tradere cogebatur. Et fatis interim quoque immortalis cetera ipse Carolus concesserat. Herculeum ergo illum laborem Philippus filius industriis credebat manibus doctissimi Petri Lopezii de Arrieta, legum licentiati, & in supremo regio Castellæ senatu consiliarii. Sed nec huic perfecti tanti operis relicta erat gloria, quin præmatura mors vitæ laborumque stamina ante diem abrupit. Tandem ergo ultima

„ per-

„ perficiendum manu clariſſimo itidem illo „ tempore JCto tradebatur a Philippo Rege, „ Bartholomaeo nimirum Atienzae, le- „ gum itidem licentiato, & in ſuprema Ca- „ ſtellæ curia ſenatori; qui & vaſtum illud „ opus felici demum coronide auxit." Dignum mehercle æternitate hoc opus, quod triumviros fama immortali dignos mortalitate exuit.

IV. Perfectam tandem immenſo tot illuſtrium Themidis antiſtitum conatu collectionem illam Philippus Rex vigore legum donatam auctoritate regia munivit, ac promulgata Madriti pridie Iduum Martii M. D.LXVII. pragmatica ſanctione in publicum curiarum Hiſpaniæ uſum ſolemni ritu inauguravit, abrogatis inſimul omnibus reliquis hoc opere non contentis legibus, auctoritate tamen *Partitis*, *Foro Judicum*, *Taurinis*que, ac reliquis audientiarum ſeu curiarum ſtatutis & legibus, in quantum huic ſyſtemati non contraria deprehenduntur, aſſervata. Prolixe hæc enarrare ex prooemio illo neceſſarium duximus, ut quæ hodierna luce in Hiſpaniarum regnis uſu obtineant leges, eo clarius inde pateſcat. Conferantur quoque, qui de hac *Nova compilatione* ſcripſere rerum Hiſpaniæ ac Philippi II. auctores: Ant. in primis Herrera & Ludovicus Cabrera (cujus volumen II. hactenus ἀνέκδοτον MS. vidimus in bibliotheca regia Paris. Cod. 10239. ni fallor) qui

qui ejus vitam posteritati tradidere ; [1] Garibayus etiam , [2] Antoniusque noster.

V Omnium primo publicam illustre hoc legum systema lucem aspexit Madriti anno 1566. in f. posteaque rursus 1598. itidem in f. ibidemque, & iterum Madriti 1610. in f. adjectis in ultima hac editione legibus post primam illius operis congeriem ad istum usque annum promulgatis. Tandem vero præses , supremæque regiæ curiæ Madritensis senatus jussu ac auctoritate regia Philippi IV. noviter auctum & in ordinem redactum per Lic. Jos. Gonsalez , ordinis S. Jacobi equitem , consiliarium curiæ & cameræ regiæ , ut & sanctæ , ut vocant , Inquisitionis , Ferdinandumque Pizarrum & Orellana , ordinis Calatravensis equitem , commendatarium Beterræ oppidi illius ordinis , itidemque consiliarium regium , illud systema suis sumtibus edi publicarique curarunt anno 1640. hac epigraphe : *Nueva Recopilacion de las leyes de estos reynos hecha por mandado de la majestad Catholica del Rey Don Phelipe II. nuestro señor , que se ha mandado imprimir con las leyes , que despues de la ultima impression se han publicado por la majestad Catholica del Rey Don Phelipe IV. &c.* Constat opus hoc IX. libris , tribusque voll. con-

1 Lib. 13. *del Compendio historial de España* cap. 9. ad anno 1560. pag. 801. fin.

2 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 146. b.

continetur. I. eorum libros 4. cum summariis titulorum & legum, annotato quoque ad marginem cujusque legis latore, & tempore, quo lata. II. libros sequentes, 5. nempe, 6. 7. & 8. III. autem 9. ultimumque librum, ac *Repertorium* sive *Indicem rerum* alphabeticum, cum alio quoque *titulorum*, complectitur. Prodiit autem integrum opus Madriti apud Catharinam de Barrio & Angulo, & Didacum Didaci de la Carrera anno 1640. constatque totum 15. circiter alphabetis. Supplementi loco huic operi accessere *los Autos y Acuerdos del Consejo Real de Castilla*, quæ varia secus judicata a supremo illo Castellæ senatu continent: impressa illa fuere Madriti eodem 1640. anno in fol. exiguæ molis libro. Conf. [1] P. Claudius Clemens.

VI. Nec desunt huic quoque operi sui glossatores ac scholiastæ, qui illud commentariorum illustrandi mole operam sibi sumsere. Primus eorum, qui nobis occurrit, ante alios quoque recenseri meritus, ALF. DE AZEVEDO est, haud infimi inter suæ gentis JCtos subsellii doctor. Placentiæ natales debet, munia civilia non obiit, sed in erudito delitescens otio per quadraginta annorum spacium plura elucubravit, quæ inter principem tenent locum *Commentariorum juris civilis in Hispaniæ regias constitutiones* (*nueva Recopilacion* dictas) volumina sex. Ultimum illorum

1 In *Tab. chronol.* ad hunc a. pag. 151. pr.

rum absolvit quidem, sed morte præventus obiit autem Placentiæ in patria die 23. Julii (ejusdem, quo Philippus illarum auctor, 1598. anni) edere ipse nequivit, nec indicem quoque in omnes illos tomos construere. Ejus ergo in hoc operam supplevit VINCENTIUS quidam CISTERNES, Valentinus. Prodiere vero volumina ista primo sejunctim Salmanticæ diversis temporibus, ab anno nempe 1583. usque 1598. quo auctor obiit, in fol. Madriti dein recusa, licet, quo anno, nec Antonius noster, nec reliquorum quis meminerit. Junctim postea prodiere Duaci in Belgio 1612. in fol. ut & Antuerpiæ apud heredes Nutii 1603. in fol. ibidemque adhuc anno 1618. typis Kerbergii in fol. meminitque etiam [1] Georg. Draudius editionis Ingolstadiensis apud Herzroyum excusæ, sed anni non meminit.

VII. Post Azevedum & LUDOVICO VELAZQUEZ DE AVENDAÑO locum demus. Celeberrimi hujus viri laudes jam supra attigimus §. 13. sect. 3. cum ejus ad leges Taurinas *Commentarium* recensebamus. Sufficiat ergo nobis, heic ejus in *Novam Recopilationem* allegasse *Commentarium*; numquam equidem nec Antonio nostro, nec nobismet videre ipsum contigit, prodiisse tamen Madriti 1593. ni fallor, in fol. [2] comperimus.

Ad

1 In *Biblioth. classica* in libb. JCtor.
2 Conf. *Biblioth. Hisp. nova* tom. 2. pag. 55. 2.

VIII. Ad nonnulla etiam operis hujus nostri capita speciatim sunt qui fuerunt commentati. Inter quos nominasse nobis sufficiat ANDR. DE ANGULO nobili progenie ortum, nobilique Cordubæ urbe, Senecarum Lucanique patria, natum anno 1545. J. C. ac Caravaccensis novæ Castellæ territorii judicem, seu, ut vocant, juridicum. Is etenim compositos a se multo studio ac diligentia *Commentarios ad leges regias meliorationum*, quæ tit. VI. lib. IV. *Recop.* habentur, primum vulgari curavit typis Madritensibus anno 1585. in 4. trium alphab. mole libello: eosdemque postea novis adauctos accessionibus recudi fecit Madriti 1592. teste [1] Antonio nostro.

IX. PETRUS etiam GONSALEZ DE SALZEDO locum heic jure meritoque sibi vindicat. JCtus enim & variis, quæ in Rep. gessit, muneribus, & quæ litterato exposuit orbi, scriptis notissimus. Regiæ is primum Madritensis curiæ egit advocatum, creatus post judex prætorianorum militum (*de las Guardas de Castilla*), prohibitarum porro importationum & extractionum, vulgo *Juez de contrabando*, criminalium denique causarum IIIvir in curia Granatensi, ac demum eodem munere in Madritensi functus, *Alcalde de casa y corte* titulo insignitus. Non aliud heic ejus laudamus opus, quam *Analecta juris*, sive

ad

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 55. a. prin.

ad Hispanas leges in illarum novissima *Compilatione* novissime auctas, & Philipi IV. Hispaniarum Regis sacro jussu, nec non doctissimorum senatorum Jos. Gonsalez & D. Ferd. Pizarro & Orellana cura & studio in unum collectanea & commentaria. Madriti 1643. fol. [1] Non autem iste tomus nisi primam operis integri partem absolvit, reliqua num lucem umquam viderint, est quod dubitemus.

X. Alf. quoque de Narbona prodeat in hoc theatrum. J. C. is patriam habuit Hispaniarum metropolim Toletum; tantumque juvenis in scientia profecit jurium, ut eorumdem, vix XX. ætatis adeptus annum, doctor summa cum laude publice renuntiaretur in patria universitate, ubi & juris Justinianei Institutiones ex cathedra superiori post exactum quinquennium docuit, nec non VI. *Decretalium* librum ante XXX. adhuc ætatis annum interpretandum aggressus; quo tempore etiam elucubravit *Commentarios in III. partem novæ Recopilationis legum Hispaniæ, sive in leges sub unoquoque novæ Recopilationis titulo quaternionibus duobus ultimis additas*, quas nec Alf. de Azevedo, nec alius quispiam interpretum attigit. Prodiere illa Commentaria Toleti anno 1623. seu, [2] ut alibi legimus, 1624. in fol.

1 Confer Ant. nostrum *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 158. a.

2 Conf. noster Ant. tom. 1. pag. 30. a med.

fol. ſimulque *Commentarios ad leg. 20. tit. I. lib. IV. ejuſdem Compilationis, ſive ad Concordiam inter fidei judices & alios ſæculares magiſtratus circa exemtionem familiarium ſancti officii.* [1] Obiit illuſtris hic vir Toleti in patria anno 1611. cum ad ſupplendum in alterutra Hiſpaniæ regia curia ſenatoris proxime vacaturum, munus a Rege jam deſtinatus eſſet, annos natus 47.

XI. In conſpectum quoque prodit noſtrum novi orbis indigena FRANC. nempe CARRASCO DEL SAZ, Truxilli in Honduras proviciæ Americæ ſeptentrionalis oppido natus. Poſt exacta in Limenſi, quæ Peruviani imperii eſt caput, academia juris ſtadia, cauſarum primo ibidem in curia egit patronum; Panamenſis poſtmodum conſtitutus prætorii judex. Suppeditavit enim & hic nonnulla *Commentaria* in aliquas leges Recopilationis regni Caſtellæ, Hiſpali editas 1620. in fol. & Madriti 1648. in fol. obiitque, teſte [2] Antonio, optimus hic vir in eo, quod jam indicavimus, munere Panamenſi. Conf. de eo [3] Lipenius.

XII. In librum *Compilationis* noſtræ quintum commentatus quoque ſpeciatim eſt JO. DE MATIENZO. Valliſoleto natales debet, ut ipſe in ſcriptis ſuis profitetur, ibidemque



1 In *Catal. Didaci de Arce & Reinoſo* ſup. cit.
2 *Biblioth. novæ* tom. I. pag. 316. a. fin.
3 In *Bibliot. jurid.* pag. 57. a.

primum post exacta juris studia referendarum coram judicibus regiis causarum partes (*Referendario* vocant) obiit. Majoribus dein Reip. impendi officiis ; & in Americam destinari meruit, Argentinæ urbis ac territorii civibus (alter enim illic e tribus Peruviani regni juridicis est conventibus) senator datus ; vicarius ejusdem prætorii præfectus postmodum, ut 1 Antonius noster credit, constitutus, qui eumdem summis ob exquisitam jurisprudentiam, doctrinam multiplicem, exactumque judicium, & rerum agendarum dexteritatem exornat laudibus. Prodiit supra memoratum ejus *Commentariorum* in nostram Compilationem opus Madriti ex officina Franc. Sanchez anno 1580. in fol. iterumque ibidem apud Lud. Sanchez, prioris forsan filium 1613. in fol.

XIII. Nullus dubito, quin optimo referri ad hanc quoque classem mereatur jure Tho. Carleval, Beatiensis, sive ex *Baeza* Granatensis regni municipio oriundus, qui cum jurisprudentia litteras junxit humaniores, theologiæ æque ac philosophiæ haud ignarus. Post exercitum in patria causarum per aliquot tempus patrocinium, Neapolim concessit, inter supremi illic justitiæ concilii senatores allectus, anno 1626. Eleganter hic scripsit docteque, 2 Antonio judice, *Disputa-*

1 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 566. a.
2 *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 241. b. med.

*tationum juris variarum ad interpretationem regiarum legum regni Castellæ*, cet. tomum primum, qui *de judiciis* agit, in duasque rursus dispescitur partes, quarum prima Neapoli prodiit ex officina Aegidii Longi 1634. altera ibidem apud Franc. Hier. Collignium 1641. in fol. Recusa utraque est Madriti typis regiis 1656. in fol. Venetiis item 1660. in fol. tandemque Lugduni apud Laur. de Anisson 1668. in fol. Haud exiguam huic operi laudem conciliat, quod, ut ipse testatur auctor, quæcumque allegat testimonia, in fontibus viderit; ut Antonius noster de ipso prædicat.

XIV. Memini, me jam superius, cum de Foro Legum Gothico dissererem, §. 22. sect. I. verba fecisse de GASPARE DE BAEZA. Cognomine oriundus is ex urbe, adeoque jam laudati Carlevalii civis fuit. Salmanticæ is juribus strenuam navarat operam, præceptore inter alios celebri Jo. Orosco J. C. & Pandectarum illustratore CL. usus, cum inde Granatam concederet, ubi in regia curia patronum egit causarum, altius emersurus, ni tristi fato in medio ætatis flore eum mors præripuisset, nondum enim triginta annos natus senili tamen prudentia, ut verbis [1] Antonii utar, instructus, obiit. Ejus heic iterato meminisse me oportuit ob enarrationem, quam edidit in Caroli V. Imp. *Constitutionem de*



[1] In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 397. fin. 2.

*non meliorandis dotis ratione filiabus*, quæ est lex I. tit. II. lib. V. *Compilationis*, prodiitque illa Granatæ 1656. a Melch. auctoris fratre edita. Extra Hispaniam quoque editum hoc BAEZAE opusculum esse, & in *Tractatu tractatuum & auctorum universi juris*, Gregorii XIII. jussu, XXV. voll. digesto haberi asserunt [1] bibliographi. Quin & [2] Ge. Draudius, hoc opus una cum reliquis BAEZAE in Germania Francof. recusum prodiisse ex officina Paltheniana asserit, nullam autem anni, quo editum, mentionem facit.

XV Iterato etiam heic celebramus memoriam Jo. GUTIERREZ JCti consensu omnium præstantissimi. Placentiæ debet natales, Salmanticæ academiæ studia juris canonici æque ac civilis, exercito dein per aliquot annos in urbe patria advocati munere, ad docendam canonicus, ut vocant, *Doctoralis* theologiam in sacrum Civitatensis ecclesiæ collegium admissus est, eique muneri magno cum discentium ecclesiæque commodo præfuit, ac scriptis universum jus canonicum æque ac Castellæ regnorum civile illustrantibus inter insignes Hispaniæ, seu verius Europæ totius juris consultores nomen suum honorificentissimo loco posterorum memoriæ, ut loquitur noster [3] Nic. An-

1 Lipenius in *Biblioth. jurid.*
2 In *Biblioth. clas.* pag. 796.
3 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 540. a. fin.

Antonius, consecravit. Laudari præ ceteris ejus operibus merentur: *Practicarum quæstionum civilum libri IV. super novæ Collectionis Hispanæ leges*. Non illi junctim prodiere omnes: primus enim & secundus Philippi II. Regis, quartus autem Jo. Acuñæ, quid sub Philippo demum III. supremi Castellæ senatus præses exstitit, nomine inscripti superbiunt. Editi priores sunt Salmanticæ anno 1589. Madritique 1593. fol. omnes vero simul Madriti 1611. in fol. & in operum auctoris omnium editione systematica Antuerpiensi apud Belleros IX. tomis in fol. 1618. edita habentur. Tomo V. & in VII. ejusdem editionis tomo exstat *Tractatus de Gabellis*, sive *Practicarum quæstionum liber V.* qui & seorsim editus est Madriti 1612. fol. & Francof. apud Palthenios 1615. itidem in fol. Junctim & opera omnia VIII. tomis postmodum prodiere Lugduni apud Laur. Anison 1661. in fol. itemque Francof. 1669. iterum in fol. Et hæc de ultima legum Hispanarum *Compilatione* disseruisse nobis sufficiat.

# SECTIO V.

## *DE LEGUM HISPANARUM SINGULARIBUS,*

### *ET PRAXI FORI CASTELLANI.*

I. REcensitis ergo, qua fieri brevitate ac compendio potuit, legibus Hispaniæ strictim sumtæ, hoc est Castellæ, regnorumque ac ditionum ejus coronæ nomine ac titulo contentarum, reliquum nunc est, ut priusquam ad reliquas vastæ illius monarchiæ partes, Aragoniam, Cataloniam, Valentiam, Navarram, Lusitaniam, cet. pergamus, istarum legum cum Romanorum civili jure consonantiam discordiamve, ac antinomias paulisper intueamur, praxinque hujus fori Castellani ejusque præcipuos daduchos enumeremus. Prius quod attinet, Hispani nempe juris cum Romano ἁρμονίαν, integros nobis ea de re reliquere tractatus JCti celeberrimi, quos inter nominasse sufficiat Jo. BAPT. DE VILLALOBOS, Toletanum patria, Compostellanum civitate, ac decretorum doctorem. Is enim diligenter & inter primos formavit, ut verbis utar [1] Antonii nostri, *Antinomiam juris regni Hispaniarum & civilis*, in qua practica forensium causarum versatur; quæ

[1] In *Biblioth. nova* tom. I. pag. 496. b. pr.

quæ *Aerario* ejus *communium opinium*, cum ultimo Salmanticæ ederetur ab auctore anno 1569. in fol. adjuncta est. Hanc Villalupi autem *Antinomiam* aliquo post tempore in examen vocavit Joannes (non Baptista, ut apud Antonium errore forsan typothetæ legitur, sed Martinez Olanus, sive de Olano, Navarrus gente, ex municipio ejus Estella oriundus, atque supremæ regni Castellæ curiæ advocatus, supra jam ob *Epilogum Partitarum* laudatus. Hic nempe in opere mox laudando ex 460. a Villalupaeo annotatis differentiis plusquam 300. reperit, quarum nulla erat ratio aut momentum, & 220. & amplius e contrario noviter detexit, quæ vere tales erant, & antiquis Villalupi adjici merebantur. Opus vero illud, quo hæc præstitit, hac gaudet epigraphe: *Concordia & nova reductio Antinomiarum juris communis & regii, in qua veræ horum jurium differentiæ, & quamplurium legum regiarum communiumque intellectus & recepta praxis causarum forensium explicantur*, cet. Burgis 1575. in fol. Conf. [1] Antonius noster.

II. Ad illustrandum Antinomiarum hoc thema quoque haud parum conducit opus illud, cujus auctor est Jos. de Vela, in Palentinæ dioeceseos oppido *Becerril* natus, J.C. & professor canonum Salmantinus, tandemque in Hispalensi, post in Granatensi suprema



1 Ibid. pag. 563. b. pr.

ma curia senator. Insignitur opus illud titulo *Dissertationum juris controversi in senatu Hispalensi*, quæ est pars prior operis, altera enim in Granatensi æque ac Hispalensi senatu controversi juris *Disputationes* continet. In his enim dissertationibus erudite admodum ac profunde quandoque Hispani a Romano juris discrepantiæ enucleantur. Prodiit pars illa prior Granatæ apud Vinc. Alfarez 1638. in fol. posterior vero postuma ibidem apud Balth. de Bolivar 1653. in fol. Obierat enim auctor jam mense Nov. 1643. Granatæ, ibidemque sepultus jacet in S. Maria de Gratia trinitariorum sectæ templo, teste [1] Antonio nostro.

III. MICH. MUÑOZ JCtus alio nobis haud notus est titulo, quam quod *de Differentiis inter jus commune & regium* scripserit, quod opus Alexii de Correa *Regimiento de Juezes* Hispali 1556. in 4. edito annexum est, ut [2] Antonius noster testatur. Celebriorem multo improbo XIII. annorum labore utilissimum juri utrique operantibus conscribendo opus se reddidit SEB. XIMENEZ, Toletanus J. C. & circa ultimum vitæ tempus in dioecesi patria pro exsequendis defunctorum voluntatibus judex renuntiatus. Aggressus is primum erat conciliationem legum Romanarum cum solis *Partitarum* libris, eum-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 627. a.
2 In *Biblioth. nova* tom. 2. pag. 113. a. med.

eumque in finem edidit *Concordiam* seu *Concordantias utriusque juris, Civ. & Can.* cum legibus Partitarum, glossematibus Greg. Lopez & plurimorum doctorum, quod opus Ant. Covarruviæ, cancellario tum temporis & canonico Toletanæ ecclesiæ, nuncupatum ab auctore prodiit Toleti 1596. in fol. Ast non contentus auctor tentasse rem cum *Partitis*, etiam reliqua Hispaniæ jura & leges eodem pertractare modo statuit, quod & perfecit, sed morte præventus (obiit autem quinquagenario major) publicandum illud heredibus tradidit. Prodiit ergo & hoc opus postumum hac inscriptione: *Concordantiarum juris utriusque pars II. in qua præter plures leges Partitarum, quæ primæ deerant, tum omnes leges, ut vocant, regni*, Stili, Ordinamenti, & novæ Recopilationis, *una cum omnibus glossis in illas scribentium*, cet. *continentur*. Toleti 1619. fol. Conf. quæ de eo disserit [1] Antonius noster.

IV. Tandem & his subjungemus SIMONEM DE VILLALOBOS & CALATAYUD, Didaci filium ex Antonia de Calatayud & Zanoguera, Ludovici secundi comitis *del Real* sorore. Quæ munia in Rep. is obierit, nos equidem latet, nec [2] Alf. Lopez de Haro, nec

1 Ibid. pag. 230. a. & b.

2 In *Theatro genealogico de los Reyes y titulos de España* Madriti impresso apud Lud. Sanchez 1622. in fol. II. voll. tom. 1. lib. 4. cap. 15. fin. pag. 300. b. med.

nec [1] Antonius noster, meminere. Scripsit vero is *Paradoxam civilem, philosophiæ speculationes, quibus theorice & practice aliquas juris communis & regni leges noviſſime interpretatur.* Madriti 1653. in 4.

V. Eximio quoque usui ad cognoscendas civilis Hispanique juris differentias sunt Ant. Gomezii, (quo de supra, cum ad leges Taurinas commentaremur, plura monuimus,) *Variarum resolutionum juris civilis, communis & regii libri III.* qui Salmanticæ primum prodiere 1552. in fol. doctiſſimis dein Emm. Suarezii a Ribera, J. C. Lusitani præclariſſimi annotationibus locupletati, iterum Salmanticæ anno 1579. fol. Venetiis 1572. in 4. Francof. 1573. in fol. ibidemque 1584. & 1597. in fol. Venetiis iterum 1582. & 1602. in 4 & Lugd. etiam 1602. ex officina Horatii Cardon in fol. ac Genevæ tandem 1631. in fol. teste [2] Antonio.

VI. Alf. quoque Ramirez de Prado nobis hic memorandus venit. Madritensis is fuit, Alfonsi filius, Laurentii, celebris illius philologi ac polyhistoris germanus frater, JCtus, ac in prætorio primum Hispalensi jus dixit senator, post & in Granatensi curia, tandemque in curia regia Madritensi inter senatus summi rerum Indicarum patres alle-

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 2. pag. 233. a. m.
2 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 59. b. fin.

lectus est : vir, [1] Antonii testimonio, humanitate ac morum suavitate, profectuque vel in studiis, propter quæ humani dicimur, omnibus carus, atque in magno pretio habitus. Inter alia & de Romanorum legum initiis ac auctoritate librum meditatus est, quem, num editus sit, ingenue me nescire fateor, eum tamen vel maxime ad hoc nostrum quadrare argumentum, facile conjectura licet assequi.

VII. In primis vero digne hoc argumentum exsequutus est, solideque ac docte illud pertractavit ARTHURUS DUCK, legum doctor, Anglus celeberrimus, in singulari ac pereruditо, quod *de Usu & auctoritate juris civilis Romanorum* scripsit, opere, in quo [2] singulari capite, quæ Hispanicas attinent leges, congessit. Nimis prolixus forem, si argumenta potiora ex illo heic excerpta ponerem, eo magis, cum omnium juris tyronum manibus liber ille teratur, vel teri tractarique debeat. Sufficiat ergo ad illustrandam hanc materiam adhuc allegasse coryphæum illud JCtorum, de quo merito gloriantur sui, eum nihil non scripsisse, DID. innuo [3] COVARRUVIAM, [4] CHOPINUM item & [5] BORELLUM, & infinitos alios, quos ipse jam laudatus in suo opere allegat Duckius. Su-

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 33. 2. fin.

2 Lib. 2. cap. 6. toto a pag. inde 112. usque edit. Londin. 8.

3 *Variar. Resolut.* lib. 1. cap. 14. num. 5.

4 De *Doman. Franc.* lib. 2. tit. 15. num. 5.

5 *De Catholici Regis præstantia* cap. 68. num. 8.

VIII. Superest ergo, ut post factam Barth. Atienzae, de quo jam supra egimus, ejusque libri *de Connexione legum Hispaniæ*, sola ex [1] Antonii recensione nobis noti, mentionem, par auctorum quoque proferamus, qui *Repertoria* in leges Hispanas confecere. Prior illorum est Ferd. Diaz, regius in curia Vallisoletana advocatus fiscalis, qui una cum doctore Aguilera, juris professore Salmantino, & doctore Victoria, collegii sanctæ Crucis Pincianæ urbis sodali examinavit, ac ordine decenti digessit *el Repertorio de las leyes de todos los reynos de Castilla*, quod ipsum illud opus est, quod Hugo de Celso in compendium a se redactum publicavit Pinciæ, apud Jo. de Villaquiran 1547. in fol. teste [2] Antonio nostro, & iterum Medinæ 1553. in [3] fol.

IX. Alter est Jaimus Soler, quoad solum nomen cognitus, qui quoque *el Repertorio de todas las leyes de Castilla* edi curavit Toleti, apud Gasp. de Ayala 1529. in 4. Memini quoque, me vidisse [4] alibi citatum librum quemdam antiquis impressum characteribus absque die & consule, cui titulus erat: *Repertorio de las leyes de Castilla.*

X. Reliquum nunc est, ut brevibus quoque

1 In *Bibliot. nova* tom. 2. pag. 576. b.
2 Ibid. pag. 286. b. med.
3 *Catalog. biblioth. Didaci de Arce & Reinoso* sup. cit.
4 In *Bibliot. Reinosana* sup. cit. cujus vide *Catalog.* fol. 48. num. 1211.

que præcipuos *Praxis* fori Hiſpani auctores enumeremus. Primordia capienda credimus a famoſa illa *Curia Philippica*, quæ practicorum forenſium ejus regni commune aſylum atque theſaurus reputatur. Auctorem illa habet Jo. de Hevia Bolaños, Oveto Aſturiarum urbe oriundum, qui, nullo licet ſuſcepto gradu academico, tantum in juris profecit ſtudio, ut & graviores quoque patronus tueretur in judicio cauſas, & libro illo haud indocte ac utiliter ſcripto ſat famæ ſibi, teſte [1] Antonio, conciliaret. In Americam poſtea trajiciens, ſedem domiciliumque in regni Peruani metropoli, Lima fixit, ibidemque hoc praxeos quotidianæ fori Hiſpani promtuarium publicæ luci dedit, hac inſcriptione: *Primera y ſegunda parte de la curia Philipica; donde breve y compendioſamente ſe trata de los juicios, mayormente forenſes, eccleſiaſticos y ſeculares, con lo ſobre ellos haſta ahora diſpueſto por derecho, reſuelto por doctores antiguos y modernos, y practicable.* Agit vero pars prior de judicum officio, ac judiciorum ordine; poſterior de commerciis & contractibus, ſive *de la mercancia y contratacion de tierra y mar*. Prima editio operis hujus prodiit Limæ Peruanæ 1603. in 4. altera recuſa in Hiſpania, Madriti nempe apud Car. Sanchez, ſumtibus Dom. de Palacio & Villegas 1644. in fol. ſex & medii alphabetorum, ut vocant, mole. Sub-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 542. a. pr.

XI. Subjungi huic *Philippicæ* altera meretur non minus celebris *Curia Pisana* cognomentum sortita ab auctore.[1] Jo. Rodriguez de Pisa is fuit, Granatensis, urbis patriæ per plures annos decurio, ac curiæ supremæ, quæ ibidem versatur, senator. Praxin namque is fori Hispani singulari libro, cui a suo *Pisanæ* nomen indidit, pertractavit. Edita illa *Curia* est tum alibi, tum Medinæ Campi apud Petr. de Castro 1548. fol. Additionibus etiam eamdem hanc *Curiam* auxit celeberrimus ille, nobisque sæpius jam laudatus Alf. de Azevedo. Lucem illæ videre Salmanticæ 1593. 4.

XII. Referri & in hanc classem meretur Gund. Suarez de Paz, J. C. Salmanticensi ex domo oriundus, ibidemque doctor ac juris Pontificii professor renuntiatus, Curuniensis post in Gallæcia curiæ senator, mortuus Madriti tandem die 16. Julii anni 1590. Scripsit enim is librum erudito minime ignotum orbi, *Praxin* nempe *ecclesiasticam & civilem seu sæcularem, cum actionum formulis & actis processuum Hispano idiomate compositis*, & totum opus III. digestum est tomis, sæpiusque typis excusum prodiit. Salmanticæ primum 1583. seu ut[2] alii volunt 1586. in fol. Medinæ Campi 1593. fol. vel, ut[3] alii,

1597.

1 Antonius in *Bibl. nova* tom. 1. pag. 590. b. pr.
2 Lipenius in *Biblioth. juridica* pag. 416. b.
3 Idem. ibid.

1597. Pinclæ item apud Andr. de Merchan 1609. in fol. Francof. tandem 1613. fol. & iterum ibidem 1661. in fol. Confer. [1] Antonium nostrum.

XIII. Theologum quoque adducimus, sacris se immiscentem Themidis, praxinque fori edocentem. LUD. is est DE MIRANDA, Vallisoleto urbe oriundus, ordinis minorum observantiæ, qui provinciam S. Jacobi incolunt, socius primum, post & eorumdem præfectus. Salmanticæ per totam ut plurimum vitam, plusquam sexaginta videlicet annos, commoratus, professor ibidem theologiam publice docendo, usque dum emeritus audiret. Ordini suo ipsum a secretis fuisse, Romanamque ad curiam generalem ejusdem procuratorem ablegatum testis, est [2] Lucas Waddingus, qui pietate eum atque eruditione spectabilem prædicat. Censorium apud Inquisitores hæreticæ pravitatis etiam munus aliquamdiu exercuit. Heic vero e pluribus, quæ reliquit, scriptis unicum adducimus *Librum ordinis judiciarii, & de modo procedendi in causis criminalibus, tam in foro ecclesiastico, quam in sæculari agitandis*, quod opus II. tom. editum vidimus Salmanticæ apud Andream Renaut 1601. primum, post 1623. utrumque in 4. ut ab [3] Antonio nostro edocemur. Ite-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 428. b. princ.
2 In opere *de Scriptoribus ordinis Minor.* sup. cit.
3 In *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 42. a. fin.

XIV. Iterato etiam heic memorandus nobis venit FRANC. CARRASCO DEL SAZ, quem supra ob *Commentarium* in Compilationis novæ leges jam laudavimus. Nam & hic circa praxin quædam meditatus, de *Casibus curiæ* curiose satis disseruit particulari libro Madriti 1630. in fol. ut [1] Antonius noster asserit, edito. Eamdem & adornavit scenam GABR. DE MONTERROSO & ALVARADO, Taurensis ortu, civitate Pincianus, utilem enim & haud vulgarem edidit tractatum sermone Hispano, hoc titulo insignem: *Practica civil y criminal, y Instruccion de escrivanos*, Pinciæ primum apud Franc. Fernandez 1563. fol. post Compluti 1571. in fol. Madriti quoque pluries, 1583. nempe 1063. 1609. & 1615. ubique in fol. [2] Vallisoleti etiam 1626. in fol. Alium, & quidem senatorem quemdam magni nominis sub Gabrielis istius nomine latere operis illius auctorem cum [3] Nic. Antonio plures suspicantur, nominatim Hieronymus Castillo de Bobadilla in [4] *Politica* sua *para corregidores* inferius laudanda, & Franc. Carrasco, de quo jam hoc §. disseruimus in [5] *Commentario* suo *ad legum regiarum Compilationem*. Haud minoris famæ doctor est Jo. IBAÑEZ PARLADORIO, J. C. & Pincianæ cu-

riæ

1 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 316. a. fin.
2 *Catalog. Didaci de Arce & Reinoso* fol. 4. num.348.
3 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 389. a. princ.
4 Lib. 3. cap. 14. num. 81.
5 Cap. 6. §. 14. num. 23.

riæ advocatus, elegantis ingenii doctrinæque vir, qui *Rerum quotidianarum libros II.* edidit, quorum prior de variis rebus in usu fori quotidiano frequentibus, hoc est, inter alia de *præscriptionibus*, *vectigalibus*, *decima venditionis*, & aliis, seorsum fuerat editus ad Did. Covarruviam Castellæ præsidem. Pinciæ typis Did. Fernandez de Corduba 1579. 4. & una cum altero dein, cujus magna pars circa exsequutionem instrumenti publici versatur, Salmanticæ apud Mich. Serranum 1595. adjecta in fine operis est *de ratione juris discendi* ad Jo. & Hier. filios epistola. Prodiit totum opus iterato Pinciæ 1604. in fol. & Marpurgi eodem anno in 4. Antonio & Verderio, ac Lipenio & Draudio testibus.

XV. Quin nec omittendus est AMATOR RODRIGUEZ, Salmanticensis, in academia patria jurium professor, causarumque patronus, similem post in Madritensi quoque suprema curia clientibus operam navando, scripsit, cum Salmanticæ adhuc versaretur, *modum & formam videndi examinandique processum*, qui liber primum Madriti lucem vidit 1609. in 4. recusus dein in Germania, Francof. videlicet 1615. in 8. eumdemque librum ipse postea auctor in majorem legistarum rabularumque suæ gentis, Latinæ linguæ ignarorum, utilitatem idiomate quoque vernaculo donavit, ut a [1] Nic. nostro Antonio e-



1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 49. b. fin.

edocemur, qui & eidem auctori adhuc bigam tractatuum ascribit, non inutiliter huic, quo in ocupamur, argumento inservientium. Alter namque *de exsequutione sententiæ, & eorum, quæ paratam habent exsequutionem*, disserit, editus Madriti apud Alf. Martinum 1613. in fol. Alter *de concursu* tractat *creditorum, eorumque privilegiis in bonis debitorum, & prælationibus*, cet. Madriti quoque apud Lud. Sanchez 1616. in fol. excusum, itemque Venetiis 1644. in fol. tandemque Coloniæ Allobr. 1665. in fol. Huic subjungimus PETR. DIAZ DE RIBADENEIRA NOGUEROL, Ocaniensem J. C. & advocatum curiæ Madritensis CL. qui praxin illius fori suis actionibus illustravit, quarum partem continet *Allegationum juris* tomus I. quem edidit Madriti apud Didacum Diaz 1641. in fol. reliquos insequuta paulo post tempore intempesta ejus mors præpediit.

XVI. Locum quoque heic damus (meretur enim) ANT. PICHARDO VINUESAE, J. C. scriptis claro. Natus is Segobiæ est Castellæ veteris nobili civitate anno 1565. patre Bætico Jo. de Almante Pichardo, fundamentaque tum bonarum artium philosophicarumque, tum juris in Hispalensi academia jecit, codicem Justinianeum pæne puer ibidem summa cum omnium laude ac admiratione docuit. Inde Salmanticam abiit, ac in illustri illa universitate juris utriusque (quod nulli alii ante se umquam contigisse, ipse

non-

nonnusquam, [1] Antonio teste, gloriatur, licentiati laurea decoratus est, omnesque ad primarium usque & nobilissimum Cæsarei juris professorum obtinuit locum, Institutionum cathedræ, quæ infima est, præfectus anno 1594. ac supremæ anno demum 1612. ex qua ante impletum academicæ militiæ tempus, quod XX. ni fallor, circumscribitur annis, unus e Pincianæ curiæ senatoribus a Rege est constitutus, illudque munus per decennium gessit, X. Cal. Febr. 1631. vitam cum morte commutans, cum annos 63. in terris exegisset, sepultusque est in clericorum regularium minorum templo Vallisoletano. Præter alia ingenii ejus monumenta habemus heic memorandum opus, cui titulum fecit: *Practicæ institutiones, sive manuductionum juris civilis Romanorum & regii Hispani ad praxin liber singularis*, qui cum aliis quibusdam ejus *Dissertationibus* prodiit Salmanticæ primum 1589. in fol. ibidemque rursus 1606. in fol.

XVII. Tandem & aliquot minoris momenti scriptorum, qui de *praxi* fori Hispani commentati sunt, memores eos heic nominatos solum dimittimus. Ex eorum numero est DID. MEXIA seu MESSIA DE CABRERA, qui sermone vernaculo scripsit *Practica judicial*, quæ Madriti prodiit 1655. in fol. & a Nic. Antonio nostro omissa est. Item Jo.



[1] In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 120. a. princ.

Infante, quoad solum nomen notus, qui *de forma libellandi* idiomate Hispano libellum sub [1] *Practicæ* titulo edidit Hispali impressum apud Domni. de Morales 1551. in fol.

XVIII. Ejusdem farinæ est Jo. de Montalegre liber, qui [2] *Praxis civilis* titulo sermone Hispano prodiit Madriti 1624. in fol. Majoris jam momenti ac ponderis oportuit esse opus, quod se vidisse MS. in vol. in 4. asserit Thom. Tamajus de Vargas, teste [3] Antonio, Gabr. nempe Henriquez, Madritensis J. C. legumque in universitate Salmantina primarii interpretis, viri, ut verbis eum [4] Feliciani a Solís laudemus, elegantia ingenii, doctrinæ varietate, multarum disciplinarum cognitione, ac morum probitate & jucunditate longe spectatissimi. Exstat illud opus sermone Hispano scriptum hoc insigne titulo: *Practica civil y criminal.*

XIX. Primo quoque loco inter fori Hispani praxeos magistros nominari meruerat Alf. de Villadiego, supra cum laude a nobis ob illustratas Gothorum leges dimissus. Summam enim sibi adquisivit apud causidicos suæ gentis laudem libro haud contemnendo, *Ins-*

1 Anton. tom. 1. pag. 546. a. fin. qui tamen tom. 2. pag. 275. b. quasi alterius cujusdam sit, cujus prænomen ignoretur, eumdem librum sub *Anonymis* recensuit.

2 Anton. *Biblioth.* tom. 1. pag. 570. a. med.

3 Ibid. pag. 387. b. med.

4 In lib. *de Censibus* Compluti edito 1549. in fol.

1 *Instruccion politica, y practica judicial conforme al estilo de los consejos y audiencias* inscripto, qui lucem vidit Madriti apud Lud. Sanchez 1612. in fol. itemque Vallisoleti 1626. in fol.

XX. Subjungimus huic nec minoris famæ virum, nec inferioris quoque subselii doctorem. HIER. is est CASTILLO DE BOBADILLA, Medinæ Campi circa 1547. annum natus, Salmanticæ sub Em. Costa Ariaque Pinelo, quantis at viris! juribus edoctus eo successu, ut septemdecim annorum juvenis publicam ad *l.* 122. §. 4. *π. de Verb. oblig.* præstiterit *Relectionem*, idque coram frequenti in patria auditorio, cumque summa ejus & admiratione & applausu; anno quoque sequenti Salmanticæ ducentarum thesium novarum, ut plurimum, paradoxarumque defensor pro cathedra, anno dein ætatis 21. cum doctoris insignitus titulo, tum muneris rectoris Gacensis vices gerendas accepit, ut ipse hæc de se suo in laudando jam jam opere sparsim annotavit. Ab illo autem tempore per viginti quatuor annorum intervallum jurisdictionem per plures Hispaniæ urbes non sine laude administravit; curiam dein defendendi lites causa adiit, tandemque Vallisoletanæ illius supremæ pro tuendis fisci juribus ad-



1 Anton. *Biblioth. Hisp.* tom. 1. pag. 43. a. princ. ac *Catalogus biblioth. Didaci de Arce* Inquisitor. general. pag. 4. fin. num. 353.

vocatus fuit conſtitutus, illoque in munere diem tandem extremum clauſit. Scriptum eruditiſſimus hic vir reliquit inſigni doctrina, eruditione, atque elegantia non multis comparandum opus, ut [1] Antonius noſter hoc illud elogio mactat: *Politica para corregidores y señores de vaſallos en tiempo de paz y guerra, y para prelados*, cet. Madriti primo 1597. II. tomis in fol. editum, recuſum poſtea Medinæ Campi 1608. fol. & Barcinone tandem 1616. in fol.

XXI. Eamdem quoque materiam ſibi peculiari opere ſumſit pertractandam PETR. NUÑEZ DE AVENDAÑO, J. C. quem ſupra, cum de *Ordinamento* ſumus loquuti, laudavimus. Libri illius titulus hic eſt: *De exſequendis mandatis Regum Hiſpaniæ, quæ civitatum rectoribus dantur, & hodie continentur in* tit. 4. lib. 4. Recop. vulgo *Capitulos de corregidores* dictis, opus II. partibus diſtinctum, Complutique impreſſum 1543. fol. Salmanticæ 1573. fol. & iterum 1593. Madriti in fol. Conf. Nic. Antonius & bibliographi. Denique & aliquot adhuc addendi, qui circa magiſtratus, qui jus dicunt, officium commentati ſunt. Superius jam mentio a nobis facta eſt ALEXII SALGADO CORREA. Librum is de officio judicis peculiarem hac inſcriptione inſignivit: *Regimiento de jueces*, Hiſpali editum apud Mart. de Monteſdoca 1556. in 4.

Exe-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 438. a. pr.

XXII. Exemplar quoque boni judicis ſiſtit breviori quidem, ſed, ut [1] Antonius noſter cenſet, ingenii judiciique pleno, ſententiisque referto libello ALF. DE HEREDIA, nobili natus loco, juriumque doctor. Libelli titulus hic datur: *Dechado de jueces, en el qual ſe hallará la muestra de como ha de ser un buen juez.* Valentiæ apud Jo. Mey 1566. in 8. Monachum quoque ordinis Franciſcani adducimus, FRANC. nempe ORTIZ LUCIO, cui Toletum [2] alii, Guadalaxaram [3] alii, patriam aſſignant, qui inter alia fori theologici ſcripta etiam de officio judicis, theologice tamen magis quam juridice, commentatus eſt libro, quem Madriti apud Laur. de Ayala 1606. ſub tit. *Eſpejo de jueces* edi curavit, [4] Antonio teſte.

XXIII. Juridice magis ſolidiuſque hoc argumentum tractavit GABR. ALVAREZ DE VELASCO Valliſoletanus, patriæ primum, poſt & Madritenſis curiæ advocatus, qui inter alia docta, quæ dedit, ingenii monumenta, *Judicem perfectum, ſeu de judice perfecto* tractatum edi curavit Lugduni apud Horat. Boiſſat anno 1663. in fol. teſte [5] Nic. Antonio. Religioni ducerem præterire ſilentio elegan-

 tis-

1 In *Bibliotb. nova* tom. 1. pag. b. fin.
2 Hieron. Roman de la Higuera, Jeſuita Toletanus, in Hiſtoria ejus urbis M.S.
3 Tho. Tamajus de Vargas.
4 In *Bibl.* tom. 1. pag. 347. a. m.
5 *Bibliotb. Hiſp. novæ* tom. 1. pag. 385. b. fin.

tissimum æque ac utilissimum hujus argumenti opus viri superius jam, numquam tamen satis laudati, Jo. DE MATIENZO, quod hoc tit. edidit: *Dialogus relatoris & advocati Pinciani senatus, sive de munere renuntiatorum* (alias Referendariorum) *advocatorum, & judicum, eorumque dignitate & eminentia.* Pinciæ primum id prodiit, (illic enim auctor tunc vixit, & ut [1] Antonius noster testatur, hoc ipso opere sibi primum magistratus honorem comparavit) 1559. seu, ut Ant. Verderius in supplemento *Gesnerianæ bibliothecæ* habet 1558. apud Seb. Martinez, & iterum ibidem 1604. Recusum quoque in Germania est, Francof. 1618. iterumque ibid. ex Jo. Berneri officina 1623. in 4.

XXIV. De fisci etiam procuratione, fiscaliumque officio juxta leges ritusque regni Hispaniæ administrando, solliciti quidam scriptis publicis fuere; nos bigam talium breviter enumerabimus. Prior illorum est Jo. RUIZ DE LAGUNA, Chinchonensis, ex Castellæ regni oppido oriundus; regius primum Mediolani senator, collegiique istius decanus, prætor quoque Ticinensis, ac in supremo demum Italico, qui Madriti floret, senatu fiscalis advocatus, ut sui se muneris sapientem demonstraret, commentatus est libro peculiari *de origine, auctoritate, dignitate, honoribus & privilegiis regii fisci patroni, tum de præce-*

1 Ibid. pag. 566. a. princ.

*tedentia illius adversus secretarios declarata*, quod opus prodiit Mediolani apud Phil. Guisulphum 1636. in 4. Reliqua, quæ scripserit, evolvi apud [1] Antonium nostrum poterunt.

XXV. Alter est doctor FRANC. DE ALFARO, Hispalensis ortu, J. C. ac primum fiscalis prætorii Panamensis, Indiæ occidentalis circa A. 1594. post Argentinæ urbis in regno Peruviano, ejusque conventus juridici (vulgo *de Charcas* audit) eodem in munere patronus A. 1597. constitutus; ejusdem dein conventus judex, ultimoque loco regius in Madritensi curia rationum senator, (vernaculo sermone *Consejero de la real hacienda*) evasit, eoque in munere ad ultimum usque vitæ diem perstitit. Hic ergo vix satisfactum, ut [2] Antonii nostri facundi utar verbis, commisso sibi illius ministerii honori existimavit, antequam de recte & laudabiliter eo administrando gerendoque posteris accenderet documentorum facem, quod & fecit, misso ad Philippum III. hujus inscriptionis opere: *De officio fiscalis, deque fiscalibus privilegiis.* Pinciæ illud excusum est typis Lud. Sanchez 1606. fol. auctiusque & emendatius recusum Madriti apud Franc. Martinez 1639. in fol.

XXVI. Non possum, quin nobili huic bigæ tertium non minus celebrem addam, ANT. OLIVAN, Catalanum, J. C. excellentis-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 592. b. med.
2 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 304. b. med.

tissimum, cujus encomium ad Catalanos inferius memorandos usque differimus. Commentatus enim & is peculiari libello est *de Jure fisci*, qui ipso anno sæculari 1600. prodiit [1] typis Barcinonensibus, ni fallor in 4. Tandem & trigæ huic, ut quadriga sit, accedat Jo. BAPT. LARREA, nec hic ex infimis JCtorum, nec inferius, ubi de Biscainis sermo erit legibus, absque debita laude a nobis dimittendus. Ejus enim *Allegationes fiscales*, quas II. voll. Lugd. Gallorum apud Phil. Borde & socios annis 1651. & 1652. edi curavit, tanto in pretio apud eruditos sunt, ut ob illas [2] *consultorum facile princeps* Francisco Censalio hic noster audiat, [3] ut Antonius affirmat.

XXVII. Id quoque, cum de Bobadilla superius dessererem, ejusque de *Correctorum officio* libro, meminisse debueram, similis argumenti edidisse librum Jo. DE ARGUMEDO & VILLAVICENCIO Xereziensem Bæticum, hac inscriptione: *El corregidor, o advertencias politicas*, hoc est, de prætoris seu correctoris urbium oppidorumque officio, quem librum edidit in patria Xerecii *de la Frontera* urbe apud Ferd. Rey excusum 1619. in 8. ut nos [4] Antonius noster edocet; apud quem &

1 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 116. a. princ.

2 In *Additionibus ad Marci Ant. Peregrini tract. de Fideicommissis*, artic. 3. §. 5. *Novissimus* cet.

3 *Biblioth.* tom. 1. pag. 490. b. princ.

4 Pag. 484. a. princ.

& [1] alibi legimus, decurionum sive rectorum munus elucidatum fuisse a Jo. DE CASTILLA & AUCUAYO, Cordubensi equite, & ibidem decurione. Munus is sibi commissum non satis digne visus sibi gerere, nisi & aliis viam muniret publicæ rei utiliter administrandæ, quare publico dedit librum hujus tituli: *El perfecto regidor*, quem Franc. Mendozæ Aragoniæ archithalasso inscriptum Salmanticæ edi fecit apud Corn. Bernardum 1586. in 8. De *primis instantiis judicibus locorum ordinariis competentibus* Jo. BAPT. POZAM scripsisse asserit Aug. Barbosa *de offic. & potest. Episc. par. III. alleg. LXXX.* in append. n. I. sed ut Nic. Antonio *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 495. a princ. videtur, idem illud opus est, quod sub ANT. DE SAURA nomine POZA hoc titulo edi curavit: *Votum Platonis, de examine doctrinarum*, Cæsaraugustæ 1639. in 4. Cantaber fuit Jesuita, & ob scripta quædam in Inquisitorum religionis censuram incurrit, & carcere aliquamdiu detentus, tandem officio scribendique interdictus libertate in collegio Conchensi delituit, ut Antonius hæc pluribus enarrat.

XXVIII. Denique & BARTH. CARVAJAL adjici meretur, qui notarius in celebri Granata fuit, atque *Instruccion y memorial para jueces executores* nobis reliquit Granatæ impressam 1585. in fol. item alium libel-

1 Ibid. pag. 513. a. princ.

bellum *para escribanos y jueces*, Granatæ 1580. in 4. impressum, qui num a priori illo alius sit & diversus, affirmare vix ausim. Procuratoribus quoque, ut nec id omittam, haud parum utilitatis affert *Practica de procuradores*, quam Jo. Muñoz, in Oscensi Aragoniæ urbe causarum patronus composuit. Sæpius illa edita est, cum omnium tritam manibus recudi frequenter oporteat; primum prodiit Madriti apud Suarez de Castro 1596. in 4. & rursus ibi 1603. in 4. & 1659. 4. ibidem.

XXIX. Nec injuria huc referimus *Praxin criminalem* qui speciatim tractandam sibi sumsere, auctores. Primas sibi vindicat ob nominis celebritatem in hoc argumento laudes Franc. Plaza de Moraga, Biroviscæ, seu *Briviesca*, Castellæ veteris Burgensisque sacræ dioeceseos oppidulo natus, ac Salmantina in universitate juris rectique scientia imbutus, ibidemque ad S. Jacobi archiepiscopale collegium admissus circa annum 1557. jus pontificium docere ex cathedra coepit. Hic ergo vir post Jo. Bern. Diaz de Lugo, Antoniique Gomezii similem, utpote eidem, in quo occupamur, argumento additam operam, scripsit docte & eleganter, ut Antonius ait, cum & exquisita esset doctrina juris, & omnibus bonis artibus linguarumque cognitione exornatus, *Epitomen delictorum causarumque criminalium ex jure pontificio, regio, Cæsareoque*. Liber primus ejus operis (spem etenim

nim auctor duorum adhuc fecerat, licet irritam hucusque) continet miscellaneos quosdam tractatus affines titulis libri *Decretalium* V. & *Codicis* IX. prodiitque Salmanticæ apud Jo. a Canova 1558. in fol. Lugd. 1560. in 8. Venetiis apud Hier. Scotum 1573. in 8. Meditatus idem hic auctor unum alterumve volumen erat super regias Hispaniæ constitutiones ex ultima earum compilatione, ut & juris Civ. & Can. artem, sed nihil horum lucem publicam hucusque vidit.

XXX. Haud ignotum quoque practicis est DID. DE LA CANTERA hujus argumenti opus, quod, postquam Salmanticæ ad S. Aemiliani, post ad S. Salvatoris Ovetense, ut vocant, collegium sodalis jura excoluisset, ac in Murciæ dein regni metropoli inter causarum judices sederet, publicavit, hoc titulo: *Quæstionum criminalium practicarum volumen*, Salmanticæ 1589. in fol. & Francof. quoque 1615. in fol. editum. Similis argumenti opus quoque composuit FRANC. DE LA PARADILLA, seu PRADILLA, cujus volumen *de las leyes penales* Madriti 1644. in 4. excusum exstare vidimus in bibliotheca publica universitatis Hafniensis, quæ in turri admirandæ structuræ & operis a Christiano IV. Rege maximo ad templum SS. Trinitati sacrum exstructa asservatur, eo inter libros a Resenio J. C. & prætore hujus urbis translatus, in cujus quoque catalogo librorum Hispanicorum in 4. n. 28. habetur; miror autem,

tem, nullam plane hujus libri apud Nic. noſtrum Antonium exſtare memoriam, qui tamen alibi nos edocet, additiones ad doctoris Pradillæ illum librum edidiſſe D. Franc. de Barreda J. C. eumdem, qui *el mejor principe Trajano de Plinio*, opus ſat celebre, eleboravit, additionesque illas editas aſſerit Madriti apud Coſmam Delgado 1624. in 8.

XXXI. Ad practicos quoque referri adhuc meretur Gomezius Bayo, qui *Practica civil y ecleſiaſtica* ſcripſit Lugd. editam 1671. fol. id quod a Beughemio edocemur. Antonius eam enim non recenſuit. Nec minus illuc ſpectat Christophorus de Anguiano Sedano, juris Can. baccalaureus primum, poſt & doctor ac primarius apud Complutenſes anteceſſor, canis jam & ſtudiorum celebritate venerabilis, gerendæ Reip. fuit impoſitus, cauſarum nempe nobilitatis judicem, (quod vernaculo ſermone *Alcalde de hijosdalgo* Hiſpanis audit) Granatæ agens, quo & in munere elaboratum jam olim publicavit *de legibus & conſtitutionibus principum, ipſorumque & aliorum poteſtate, juriſdictione & imperio* tractatum, Granatæ in ædibus auctoris typis Petri Cueſta 1620. in fol. Quinque libros reliquos totius operis complementum propediem edendos in ſe receperat auctor, ſed fidem non liberavit, obiiſſe eum ſenatorem creatum Pincianæ curiæ ſed Granatæ adhuc hærentem, affirmat Antonius noſter, ex quo hæc dedimus.

XXXII. Superius, ubi de juris Rom. cum Hispano concordia disserui, me oblitum fuisse ANT. PERESII SIGLERI bene recordor, quare & heic illius celebrare memoriam, ne protinus de eo silere cogar, placet. Salmantinus is fuit, J. C. æque ac poeta haud vulgaris, hujus Ἰεκμήριον sistit *Metamorphosin* Ovidianam Hispano rythmico interdum ac prosaico sermone loquentem, illius autem testis est & vitæ genus, quod egerat, advocati enim munus Talaveræ, in Toletani regni oppido, exercuit; & doctum, quod publicæ luci exposuit, ingenii monumentum: *Manipuli florum juris Pont. & Cæsarei, nec non & regni Hispaniarum, quadraginta consiliis exornati* sub titulo, Neapoli apud Aeg. Longum 1641. in fol. eoque in opere se sub tribus Philippis Regibus, II. nempe, III. & IV. clientibus strenuam navasse operam fatetur auctor noster.

XXXIII. De *Antinomiis* cum superius quoque dissererem, omisi LIBERTUM FRANC. CHRISTINAEUM, J. C. Belgicum, qui de legibus inusitatis seu antiquatis Belgii, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque libellum scripsit, qui adjectus est Philiberti Bugnyon *tractatui legum abrogatarum & inusitatarum in omnibus curiis & dominiis Franciæ*, Bruxellis 1677. in 4. De methodo discendi juris Hispaniæ æque ac Romani Hispano sermone libellum composuit FRANC. BERMUDEZ DE PEDRAZA, Granatensis J. C. & advocatus primum

mum curiæ patriæ; dein etiam ſupremi Caſtellæ ſenatus Madriti, canonicus denique & theſauri eccleſiæ Granatenſis cuſtos a Rege conſtitutus. Urbis patriæ ortum laudeſque peculiari recenſuit libro, quo optime de illa meruit. Liber autem ille, cujus gratia eum heic recenſemus, hoc gaudet titulo: *Arte legal para estudiar la jurisprudencia, con la exposicion de la Instituta*, Salmanticæ 1612. apud Ant. Rodriguez in 4. Deceſſit ipſe auctor ſeptuagenarius anno 1655. in patria Granatæ.

XXXIV. Denique & coronidis loco par ſubjiciam auctorum, qui ſpeciale quoddam argumentum, ſeu legem ac conſtitutionem quamdam particulari opere commentandam ſibi ſumſere. Rei agrariæ frumentariæque talem curam geſſit Did. Collantes de Avellaneda, Caracenſis ſeu Guadalaxarenſis, ex novæ Caſtellæ municipio, J. D. in academia Seguntina (ſeu *de Siguenza*) creatus, & ibidem cauſarum patronus. Scripſit enim *Commentariorum pragmaticæ in favorem rei frumentariæ & agricolarum, & rerum, quæ agriculturæ destinatæ sunt*, libros III. Madriti editos apud Lud. Sanchez 1606. in 4.

XXXV. Similiter *ſucceſſionum* omnium materiam ſingulatim ad juris communis æque ac regni Hiſpanici amuſſim revocavit Jo. de Roxas, ex oppidulo Rota S. Clementis nuncupato oriundus, J. U. licentiatus, Valentiæ prius, poſt apud Siculos Inquiſitor hæreti-

ticorum Apostolicus, quem ob doctrinæ præstantiam morumque gravitatem Gregorius XIII. P. commendante Philippo II. Rege, Agrigentinæ ibidem ecclesiæ episcopum præfecit anno 1576. vel 77. sed vix anno in eo munere exacto obiit, ut Rochy Pyrrhus in *Notitia ecclesiarum Sicularum*, ex eoque Antonius noster testantur. Præter alia, quæ edidit, opera, illius solum heic meminisse placet, quod Valentiæ apud Petrum de Huete 1568. hoc titulo edidit: *Epitome omnium successionum ex testamento & ab intestato, jure communi & regio.*

XXXVI. Sed manum de tabula. In nimiam enim opella hæc excresceret molem, si reliqua etiam minutissima proferre, ac multa verborum ambage recensere vellem; actum enim eo solum labore agerem, cum Antonius sollicitus admodum de illius argumenti auctoribus fuerit; id tamen confido, præcipuos optimosque fori Hispani, in primis Castellani, enumeratos jam heic a nobis fuisse. Nec injuria referri huc possent & illi, qui de modo erigendorum contractuum, *Escrivania* sive notariatus arte, aliisque eorum ad munus spectantibus fuere commentati: sed cum nimis id a scopo, quo tendimus, aberret, & non nisi ad aggravandum inutili mole libellum hunc inserviat, merito omittuntur. Et sic hæc paucula quoque pro tenui nostra facultate suppeditasse sufficiat circa fori Hispani *praxin*, quæ ad solius fere Nic. An-

tonii, unici Hispanorum, sed & optimi bibliographi, ductum enarrata fuere.

# SECTIO VI.

## *DE REGNI ARAGONIAE LEGIBUS, EARUMQUE ORTU.*

I. PErlustratis ergo Hispaniæ regnorum, quæ *Castellæ* nomine veniunt, legibus, reliquum est, ut & ceterorum, quæ vastam illam monarchiam vel olim composuere, vel adhuc constituunt, regnorum dominiorumque leges & jura, qua diligentia & compendio fieri possibile, enumeremus. Initium autem ab Aragonia, regnorum post Castellam primum præcipuumque haud dubie tenente locum, non immerito capimus. Hujus autem æque ac Navarræ leges, si originem spectes, ad veteres Suprarbiæ Reges natales referunt, eorum quippe ævo celebratissimum illud Suprarbiae Forum (Fuero de Sobrarbe) exordia cepisse contendunt. Adeo controversa autem inter omnes Aragoniæ Navarræque regnorum historicos est illius fori origo, ut littus viderer arare, si oppositas sibi invicem illorum opiniones conciliare conarer. Sufficiat ergo, heic principis Aragoniæ historici insistere vestigiis, reliquorumque brevibus verbis eidem subjungere suffragia. Hier. Blancas is est, quo cer-

te

te nemo scitius, solideque ac profunde magis patriæ gentis reconditas exhausit antiquitates. Sic autem ille in incomparabili [1] *Commentariorum* opere, ut ejus mentem nostris exprimamus brevitatis studio verbis.

II. Tenuerant universam fere Hispaniam aliquot jam annorum spacio Mauri, cum duri illorum pertæsæ jugi, quæ circa Pyrenæos ac Cæsaraugustam se receperant, gentes Christi professæ nomen, ad excutiendum a cervicibus onus, juncto consilio animisque in quamdam Jaccetanam prope urbem in Uruelis monte sitam speluncam trecentorum fere numero convenirent. His autem ab Abdemelicho Maurorum regulo, qui re comperta speluncam illam obsidione cinctam ceperat, una omnibus cruenta trucidatis cæde, præsidiisque ac munimentis, quæ illic loci exstruxerant, funditus, ut hodienum ruinæ testantur, eversis, factum est, ut aliquot post annis Joannes, cognomentum ab *Atarés* oppidulo patrio sortitus *Ataresii*, denuo speluncam incoleret illam, erectoque in D. Jo. Baptistæ honorem in isto monte sacello, vitam ageret ἀναχωρίτης, quem plures dein ejusdem instituti viri in illo vitæ sequuti genere, tantam tandem illi loco sanctitatis conciliavere famam, ut eorum, qui Christo dixerant sacramentum, ingens eo conflueret numerus, qui calamitates, infausta quibus sub-

 cum-

1 Pag. 11. & seqq. edit. Cæsaraugust. 1588. fol.

cumbebat patria, lacrymantibus intuentes oculis, in illam tandem unanimi consensu coiere mentem, ut legibus astricti militaribus, in Maurorum, quibus exitium solemnibus juraverant verbis, ruinam sub unius tantum imperio convenirent. En jacta Suprarbiensium regni fundamenta!

III. Primus, cui Suprarbienses detulere regnum, Garsias fuit Eximini, regio, ut nonnullis placet, Gothorum sanguine ortus. Post illum Garsias regnavit Innici, quem sequutus Fortunius, cum ex Sanctii Garsiæ, quarti Regum obitu, qui a Cæsaraugustano Maurorum regulo Muza Aben Hazin una cum comitum Aragoniæ quinto, Garsia, in prælio cæsus absque prole decesserat, fatale recenti illi Suprarbiæ regno exitium imminebat; direptis quippe vastatisque per barbaros omnibus, Suprarbiensium pars Aragonesque in speluncam Pinnatensem; Navarri autem (ex his enim omnibus Suprarbiense constiterat regnum) in finitima dirutæ a barbaris Pampilonis aufugere loca, ubi delitescentes junctis aliquamdiu viribus proelia prædasque crebras a Mauris reportavere; exortæ autem aliquando ex prædarum, ut fieri assolet, partitione simultates dissensionesque ad segregandum utriusque gentis, Aragonum puta Navarrorumque, animos ac vires contulere, factum inde, ut hæc Regem Eximinum, seu, ut aliis placet, Innicum Aristam, istius filium A. C. 842. sibi Regem Pampilonensisque

que seu Navarrici regni eligeret statorem ; illa autem, Aragonum videlicet Suprarbiensium gens, postquam de rebus sacris, Pinnatensisque ædis (quæ hodienum vulgo *S. Juan de la Peña* audit, veterumque Regum exuviis tumulisque superbit) actum restitutione, de Reip. quoque sollicita administratione XII. viros elegit constituitque ætate graves rerumque prudentes, & ob id *seniores* seu dominos (en Hispanæ vocis *Señor*, qua dominus innuitur, veram originem!) appellatos, ex quibus magnates regni, quos posterior ætas *Ricos-Hombres*, hoc ævum *Grandes*, vocari audit, originem quoque suam traxisse, communi historicorum, antiquitatumve peritorum ex opinione asseritur.

IV. Diu apud Suprarbienses hæc publicæ gerendæ rei viguit ratio, nequaquam tamen, premente tanto Arabum incursu, stabilis nec firma videbatur permansura ; nihilominus dulcedine capti libertatis unius se subjici imperio formidabant, quoniam quidem proventuram inde credebant servitutem. Omnibus denique rebus probe circumspectis, rationibusque subductis, perciti, ut proditur, ab Aragoniæ comite Fortunio, demortui Garsiæ Azenarii, quinti ordine, filio, inque ipsius locum suffecto, hanc fecere consiliorum omnium summam, ut per legatos Hadrianum II. P. M. (quem prisca gentis monumenta Apostolicum Aldebrandum vocant) ac Longobardos consulerent, quem modum ad diu-

 tur-

ſurnitatem imperii magis aptum statuendum eſſe cenſerent? A quibus reſponſum perhibent, uti certo jure ac legibus præſtitutis, præviaque jurisjurandi religione præcautis, unum ſibi Regem præficerent. Hoc ſecundum reſponſum ergo decreverunt omnes, unum aliquem virtute præſtantem Regem ſibi conſtitui oportere: ſtatutisque antea certis legibus, quæ norma ejus eſſent actionum, Innicum Ariſtam, quintum Suprarbiæ elegere Regem. En Fori Suprarbienſis, reſtauratique regni originem.

V. Factum autem injuria temporum eſt, ut antiquarum iſtarum legum, prout priſco illo germano atque genuino ſermone erant conſcriptæ, penitus ſepulta jaceat cognitio. Carolus equidem Navarræ (ſeu Vianæ potius, quod principum regni ſucceſſorum eſt agnomen) Princeps, in *Hiſtoria* patria, quam litteris conſignavit, (M.S. in ſcriniis adhuc latet, illiusque exemplar Madriti olim in bibliotheca comitis de Villaumbroſa exſtitit) fragmenta nonnulla iſtius fori collegit, ex quibus ſuis nonnulla inſeruit [1] *Commentariis* Blancas noſter idiomate Latino expreſſa. Et hæc omnium ſequiori tempore latarum apud Aragones æque ac Navarros legum fuere fundamenta. Hæc ſunt, quæ ad incomparabilis noſtri Blancæ ductum circa celebratiſſimum iſtud Suprarbienſe Forum enarrari poterant.

Dif-

1 Pag. 25. edit. Cæſaraugustanæ.

VI. Differentes nunc reliquorum auctorum sententias lubet summa brevitate ac compendio recensere. Astipulantur Blancæ, quotquot pro vindicanda contra Navarros Aragonibus Fori istius gloria dimicant, gravissimi nempe Aragonensium rerum historici, magnus Hier. Zurita & in [1] *Annal.* opere, & in [2] *Indicibus* Latinis, qui liber minime obvius est, & inter κειμήλια ejus gentis annalium reponi meretur: [3] Jo. Brizius Martinez, ædis S. Jo. Pinnatensis abbas, & regni chronographus, vir plurimam sedulo labore, improbaque monumentorum veterum pervestigatione laudem apud suos commeritus: [4] Petr. Lud. Martinez, Jur. Lic. qui elegantem *de*



1 *Annales de Aragon* lib. 1. cap. 5. fol. 9. col. 2. fin.

2 *Indices* Latini *rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum ab initiis regni usque ad A. C.* 1410. III. libris digesti Accedunt Rob. Viscardi Calabriæ ducis, & Rogerii ejus fratis, Calabriæ & Siciliæ ducis, principum Normannorum, *rerum in Campania, Apulia, Bruttiis, Calabris & in Sicilia gestarum* libri 4. auctore Gaufredo Malaterra: item *Rogerii Siciliæ Regis rerum gestarum* lib. 4. auctore Alexandro coenobii S. Salvatoris vallis Celesinæ abbate, cet. Cæsaraug. apud Dominicum a Portonariis de Ursinis 1578. in fol. 6. alphab. Lib. 1. ad annum 845. pag. 10. med.

3 *En su Historia de la fundacion y antiguedades de S. Juan de la Peña y de los Reyes de Sobrarbe, Aragon y Navarra*, Zaragoza por Juan de Lanaja y Quatanet 1620. fol. 10. alphab. lib. 1. cap. 32. 33. & seqq. speciatim 35. & 36. ac lib. 3. cap. 3. pag. 474. col. 1. ubi A. C. 840. Forum hoc Suprarbiense conditum asserit.

4 In lib. *del principio del Reyno de Aragon*, Cæsaraugust. 1581. in 8. edit. part. 1. pag. 20. & 21. part. 2. pag. 103. part. 6. pag. 432.

*Aragonum regni primordiis* libellum Cæsaraugustæ 1581. in 8. edi curavit: [1] Martinus Miravete de Blancas, [2] Diego Morlanes, J.C. Cæsaraugustanus, non infimæ apud suos laudis: [3] Steph. de Corbera, civis & historicus Barcinonensis, multæ apud omnes existimationis, Don Jo. Franc. de Montemayor de Cuenca, consiliarius regius Hispanicus, gubernator Hispaniolæ, ac audientiæ regiæ in S. Dominici urbe præses, ac auditor cancellariæ regiæ Mexicanæ, in doctissimo, quem in patriæ (Aragonius enim est) laudem conscripsit in urbe Mexicana, [4] libro, cujusque non nisi primam prodiisse partem, dolendum merito, [5] Martinus item Carrillo Cæsaraugustanus J. C. abbas Montis-Aragonis ordinis canonicorum regularium S. Augustini in Aragoniæ regno, quibus & consentiunt generalis Hispaniæ historiæ antesignani, [6] Steph. Gari-

1 Part. 3. fol. 188. & 189.

2 *Alegaciones sobre poner virey estrangero en Aragon*, Cæsaraug. edito 1591. in fol. part. 1. fol. 79. usque 92.

3 In *Cataluña illustrada*, quæ postuma cum notis & additionibus edita fuit a Fr. Jos. Gomez de Porres, ordinis Carmelitarum monacho, Neapoli apud Ant. Gramiñani 1678. in fol. 5. alphab. lib. 5. cap. 3. p. 296. & 297 seqq.

4 *Investigacion de la nobleza y privilegios de los Infanzones e Ricoshomes de Aragon*, &c. Mexici 1664. 4. part. 1. cap. 1. pag. 4. seqq.

5 *Scholiis ad Inscriptiones Regum Aragoniæ* Latinas a Blanca compositas edit. Dormerianæ Cæsaraug. 1680. in 4. pag. 44.

6 Lib. 21. *del Compendio historial de España* cap. 7. tot. pag. 21. seqq. in primis pag. 36.

ribayus, qui tamen, quod interregnum destruat, a reliquis vapulat: 1 Jo. Mariana, 2 Alf. Sanctius, 3 Bern. Brito, annalium Lusitanorum primus conditor, aliique, numerus enim eorum haud exiguus me hercle est.

VII. Multo aliter rem narrant, gloriam originis Fori illius Suprarbici suis vindicando civibus Navarræ regni scriptores æque ac Galli, quos inter nominasse sufficiat 4 Arnoldum Oienhart, qui *utrisque Vasconiæ* scripsit *notitiam*, ac celeberrimum antistitem, Catalanorumque aliquando proregem Petrum de Marta in elegantissima vicecomitum 5 Bearniæ *historia*. Singulatim vero acriter agitata illa quondam est controversia inter historiæ Aragonum æque ac Navarræ regni conditores, quorum primi, quod ego sciam, fuere Brizius ille Martinez, qui pro Aragonibus, Garsiamque de Gongora & Torreblanca, qui pro Navarris stetit, illum peculiari aggressus libro, cui hunc præfixit titulum: *Historia apo-*

1 *Historia general de España* lib. 8. cap. 1. pag. 264. a. edit. ult. 1678.

2 In *Anacephalæosi Regum Hispaniæ* libris 7. ab O.C. ad an. usque 1633. gesta enarrante, & Compluti apud Antonium Duplastre edita 1634. in 4. lib. 4. cap. 1. pag. 148. & 149.

3 Bern. Brito, monachus Ord. S. Benedicti in regio Alcobazæ conventu *Monarquia Lusitana* tom. 2. Lisboæ apud. Petr. Craesbeek 1609. fol. edita lib. 7. cap. 15. fol. 324. col. 3.

4 Edita est Notitia Parisiis 1638. lib. 2. cap. 9.

5 *Histoire des Vicomtes de Bearne*, Paris, 1640. fol. lib. 2. cap. 9. fol. m. 167.

*pologetica y descripcion del Reyno de Navarra y de su antiguedad en III. libros*, Pampilone lucem illud opus aspexit apud Carolum de Labbyen 1628. in fol. 3. alphab. mole. Verum cum [1] Antonio nostro credebamus illud auctoris nomen, sed aliud nos docuit fusius mox laudandus [2] Dom. de La-Ripa, qui sub illo Garsiæ de Gongora nomine latere Joannem de Sada ex oppidulo Navarræ *Aibar* dicto oriundum, ludique magistrum Pampilonensem demonstravit, cui & assensum præbent [3] Brizius ipse, [4] Moretus, [5] Uztarrozius, & alii.

VIII. Et Blancam & Brizium, simulque reliquos Aragonicarum partium historicos solido eoque erudito aggresus est opere celeberrimus Navarræ regni historiographus Jos. Moretus. Pampilonensis ipse & S. J. *vir*, ut eleganti & stilo & judicio utar optimi nostri [6] Antonii, *eruditione præstanti, defæcato judicio ac singulari industria, qui eleganti olim Latino stilo prosequutus historiam obsidionis oppidi* de Fuenterrabia *in Galliæ & Cantabriæ finibus anno* 1638. *frustra a Gallis tenta-*

1 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 593. a. pr.

2 In *Defensa historica del Reyno de Sobrarbe*, tit. 4. cap. 3. §. 2. pag. 246. med.

3 In epist. ad Leon. Argensolam data *S. Juan de la Peña* 14. Mayo 1628.

4 In *Apologet. congressione* 4. n. 4. fol. 92.

5 *Progressos de la historia de Aragon* lib. 3. cap. 12. §. 43. pag. 341. a. med.

6 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 620. b. princ.

*tatæ.* Non possum, quin huic elogio aliud addam, quo præstantissimus ob emissa in lucem plurima in historicis genealogicisque Hispaniæ rebus ingenii monumenta, nobisque Madriti optime notus Lud. de Salazar & Castro, Caroli II. p. m. Regis historiographus Moretum nostrum ornat, [1] appellando ipsum *uno de los mas puntuales investigadores de la antiguedad.* Hic ergo Moretus duplici, quæ pro asserenda Navarris contra Aragones legum Suprarbicarum origine erat meditatus, opere perfecit. Alterum majoris momenti molisque sunt *Annales regni Navarræ*, pluribus diffusi tomis, opus illud postumum partim est. Prior enim illius pars vivo quidem adhuc, ut credo, auctore prodiit, continens XIV. libros priores, resque ab exordio regni ad annum usque 1075. gestas, præfixas item habens 3. *Dissertationes* argumenti historici, I. de primo Hispaniæ incolatu, ac sermone prisco. II. de Maurorum in illam introitus epocha. III. De ordine legum Suprarbicarum, & quo latæ fuere tempore. Posterior autem tomus (plures enim in hunc usque diem lucem publicam non aspexere, sed in collegii

ad

1 In vasto illo opere genealogico, cui tit. *Historia genealogica de la casa de Lara*, (quo præcipuarum Castellæ non solum, sed totius fere Hispaniæ familiarum stemmata & res memoratu dignæ continentur. Prodiit illud Madriti apud Matthæum de Llanos & Guzman 1696. in fol. 4. voll. quorum ultimum non nisi documenta diplomataque continet), lib. 1. cap. 11. pag. 34.

Jesuitarum Pampilonensis scriniis manu auctoris exarata asservantur) continet libros V. a XV. ad XX. usque, & res ab A. 1074. ad 1234. usque gestas. Prior lucem vidit Pampilone apud Mart. Greg. Zabala 1684. in f. Alter postumus prodiit studio Franc. de Aleson S. J. & Moreti successoris, ibidem apud Bern. de Huarte 1695. itidem in fol.

IX. In primis vero digne id exsequutus argumentum est Moretus in *Investigationibus* suis, quod opus solide eruditeque construxit, ediditque hac inscriptione, *Investigaciones historicas de las antiguedades del Reyno de Navarra*. Pampilone apud Gasp. Martinez, anno 1665. in fol. Graviter illic, in primis libro II. cap. XI. §. I. pag. 376. seqq. pluribus argumentis Aragonum opiniones impugnat. Defendit horum partes contra illum Moreti librum Fr. Dom. de La-Ripa, ex oppido Aragoniæ *Hecho* oriundus; monachus Ord. Bened. monasteriique regii S. Joannis Pinnatensis eleemosynarius, edito peculiari sat grandi volumine, cui titulum præfixit talem: *Defensa historica por la antiguedad del reyno de Sobrarbe contra el P. Moret y sus Investigaciones*. Zaragozæ apud heredes P. Lanaja y Lamana 1675. fol. acrioribus durisque aliquando Moretum verbis perstringens, qui se defendit contra La-Ripam peculiari edito libello hujus inscriptionis: *Congressiones quince apologeticas sobre la verdad de las Investigaciones historicas de las anti-*

gue-

*guedades del reyno de Navarra*, duro La-Ripæ nodo durum hoc libro reponens cuneum. Quin adeo inter ambos efferbuit rixa, ut & ad tribunal numinis divini tandem appellaretur, ut in primis in fine ultimi scripti Moreti videre est; quod lucem vidit Pampilone apud Mart. Greg. de Zabala 1678. in 4. chartæ maj.

X. Hæc prolixius paulo enarrare placuit, ut quæ circa Navarræ, æque ac Aragoniæ legum originem atque primordia inter clariores utriusque gentis historicos agitatæ fuere controversiæ, penitius inde cognosci queat. Fateor autem me imparem nimis, quam ut judicis inter illos agere vices, deque illa re tam controversa certi quid pro alterutra partium statuere sustineam; quin Alexandrino potius ad solvendum Gordium istum nodum ense opus fore existimo; sed satis jam de Suprarbiensi me disseruisse Foro persuasus sum; progrediendum ergo ad sequiores temporis ratione leges.

XI. Suprarbiensem enim alius excipit non minoris famæ FORUS, urbis nempe JACCENSIS, (FUERO DE JACCA, vulgari sermone appellatus)[1]. Et circa illum variant auctores. Nos vestigia non alius, quam Blancæ sequi juvat, qui, cum[1] de Galindo Azenarii, secundo Aragonensium comite commentatur, illustrem illum se reddidisse affirmat, quod Jac-

1 In *Comment. rer. Aragon.* pag. 38. edit. Cæsaraug.

Jaccam urbem latis, quæ sub *Fori Jaccensis* titulo prostant, legibus illustrarit. Præclarum quoque ibidem adducit Alfonsi II. Regis, qui Foros illos multo post tempore perpetua auctoritate munivit, testimonium, quo expressis verbis Rex iste vocat *Fueros totius illius terræ, quæ est ultra serram versus montanam Jaccæ. Et scio*, inquit, *quod in Castella, in Navarra, & in aliis terris solent venire Jaccam per bonas consuetudines & Fueros ad discendos eos, & ad loca sua transferendos.* Præcipua legum illarum capita, qui nosse cupit, Blancam loco superius citato evolvat, qui sermone Latino illa summatim recenset: nos, ne nimis prolixum fieret opus, silentio ea præterire congruum duximus.

XII. Quod vigorem auctoritatemque legum illarum *Fori*que *Jaccensis* attinet, illud municipale tantum, non generale regni reputandum: integra quippe semper ac suprema Suprarbicis legibus constitit auctoritas, quorsum erudite confer disserentem [1] Dominicum de La-Ripa, Blancamque nostrum. Quibus subjungimus scriptores quosdam, qui pro asserenda conditarum Jaccensium legum Galindo comiti gloria pugnant, [2] Rodericus nem-

1 *Defensa historica* tit. 3. cap. 9. integro, pag. 197. seqq.

2 *Poblacion general de España* cap. *de Jacca* 4. pag. 101. col. 4.

nempe Mendez Silva, [1] Mart. Carrillo, Jo. [2] Briz Martinez, & alii jam supra, ubi de Foro Suprarbienſi actum, recenſiti. E contrario non Galindo Aragonum comiti, ſed Sanctio majori, ſeptimo illorum & Suprarbiæ regi, originem Jaccenſis Fori acceptam ferendam uno ore aſſerunt Navarrici ſcriptores, quibus aſſenſum præbet magnus [3] Zurita & in *Annalium* vaſto, & in *Indicum* Latinorum elegante opere, cujus veſtigia legit Jo. de Madariaga, Valentinus, Ord. Cartuſianorum monachus in eleganti *del Senado y de ſu principe* [4] libro; ad utriuſque autem argumenta reſpondit [5] Martinez, qui Zuritæ in primis ſententiam cum propria conciliare conatur, [6] Sanctium reſtauratorem latarum a Galindone Jaccenſium legum aſſerendo.

XIII. In primis vero competere Sanctio Ramireſio, magno illi Aragonum Navarrorumque Regi illam Fori Jaccenſis conſtituti gloriam integris paginis omni ſtudio & conatu aſſerit Moretus a La-Ripa non minori foliorum ambage contrarium aſſerente reſuta-

1 In Notis ad *Inſcriptiones Regum Aragoniæ* a Blanca conſcriptas pag. 89. & 90.
2 *En la Hiſtoria de S. Juan de la Peña* lib. 1. cap. 23. pag. 100.
3 *Annal.* lib. 1. cap. 5. fol. 10. col. 4. & *Indicum* lib. 1. ad A. 1064. pag. 30. princ.
4 Valentiæ edito 1617. in 4. cap. 41. pag. 485.
5 *Hiſtoria de S. Juan de la Peña* lib. 3. cap. 3. pag. 474. a.
6 Ibid. pag. 473. b. in fine.

tatus. Ille in [1] *Investigationibus*, hic [2] in *Defensa*, propterea evolvendi. Sed adhuc ab his omnibus recedit longius [3] Steph. Garibayus, qui Sanctium Ramiresium non Jaccensem Forum, sed leges Romanorum ac jus civile Justinianeum in sua introduxisse regna prodit. Cui ergo ex his omnibus adjicere fas est calculum? Mihi, si salva omnium aliter sentientium & fide & auctoritate, quæ judico, dicere licet, ad Zuritæ Moretique accedere partes non vereor ductus rationibus, quas prolixius enarrare nec operis argumentum, nec brevitatis ratio admittit; nihil ergo, ut ad finem properemus, addi meretur, quam codicis antiqui chartacei mentio, quem in illustris Ant. Augustini Tarraconensium archiepiscopi jam laudata superius bibliotheca exstare vidimus in [4] catalogo hoc titulo: *Forum antiquum Suprarbiæ libris IV. & Forum Jaccetanum patrio sermone prisco scriptum, in fol.*

SE-

1 In *Investigat.* lib. 2. cap. 10. pag. 497. seqq.

2 In *Defensa historica* tit. 3. cap. 9. pag. 197. seqq.

3 In lib. 31. *del Compendio historial de España* cap. 17. ad annum 1073. pag. 669. med.

4 In Manuscriptis Latinis n. 441.

# SECTIO VII.

## *DE LEGUM ARAGONIAE PROGRESSU ET STATU.*

I. PRoferamus nunc gradum, & ad celebriora æque ac recentiora Themidis Aragonicæ properemus κειμήλια. Prius autem ac ad Vitalem veniamus; monendum eſt Alfonſum I. Blanca pag. 136. & Michaele Molino in *Repertorio*, verbo *Privilegium*, fol. 265. col. 2. teſtibus, anno 1115. urbi Gæſarauguſtæ bonos Foros, prout boni infanzones Aragoniæ habent, contuliſſe: Petrum quoque III. teſte Zurita lib. IV. cap. 38. fol. 265. col. 2. *Annalium* in comitiis Cæſarauguſtanis anno 1283. in confirmationem atque robur fororum, legum, privilegiorumque veterum, regnum donaſſe diplomate, quod *el Privilegio general* audit, de quo egregie in primis pluribus verbis Zurita diſſerit. Jaimus poſtea II. Rex in comitiis anno 1325. habitis Forum tulit, quem *Declarationem privilegii generalis* appellavit. Idem quoque fecit Rex Alfonſus V. in comitiis Cæſarauguſtanis anno 1456. habitis, quibuſque ipſius loco præſedit Joannes frater, Rex Navarræ. Acta enim illa prodiere hoc titulo inſignita: *Capitoles, segunt forma de los quales se deven exigir e cullir los dreitos de las generalidades del*

H *Rey-*

*Reyno de Aragon, y conforme a esto se ha acostumbrado y acostumbra exigir y arrendar el general.* Unde jus sive *tributum generalitatis*, quod in Aragonia subjecti solvunt, ut pluribus hæc omnia exponit Dormerus in *Discursos sobre las Cortes de* 1678. pag. 10. seq. Sed in orbitam reverti oportet. Annus post reparatam per Christum salutem effluxerat quadragesimus sextus sæculi XIII. cum apud Oscam seu Huescam, celebre satis inter Aragonum urbes nomen, comitia ipso sacro Ἐπιφανείας festo celebraret magnus ille Jaimus, seu Jacobus I. ob res foris præclare gestas *el Conquistador* cognominatus: in iis ergo de communi Regis ac regni Aragonum consensione universum jus illius regni, quod diffusum & dissipatum hactenus jacuerat, in singula genera coactum digestumque fuit; publica item decretum sanctione, ut juxta illud deinceps singula quæque fierent causarum judicia. Unde vetustiores hæ leges habentur omnibus, quæ apud Aragones vigent. Monet tamen [1] Blancas, plurimas in iis legibus æque ac in *Observantiis*, de quibus in posterum sermo instituetur, reperiri de verbo ad verbum in Suprarbiensi, quod hodie circumfertur, Foro exstantes. Quamobrem etiam laudatus auctor eas non noviter in illis comitiis conditas, sed ex veteribus Suprarbiæ, aliis-

1 In *Comment. rer. Arag.* pag. 166. edit. Cæsaraug.

liisque sequiori tempore a Regibus hinc inde latis promulgatisque legibus compilatas digestasque fuisse non inepte concludit.

II. Debetur illa legum in comitiis facta Oscensibus collectio VITALI DE CANELLAS, 1 Zuritæ CANIELLAS, 2 Blancæ CANELIS; 3 Beutero CANALLOS, sed minus recte, dicto, Catalano gente, atque Oscensi episcopo. Magnæ ille eruditionis vir fuit, & 4 Blanca teste in priscis illis regni scitis valde versatus: Michaeli quoque Molinos J. C. inferius 5 laudando vir audit litteratus, valde practicus & expertus in foris, & magnæ auctoritatis J. C. Interfuit ipse bellicis æque ac politicis Jacobi expeditionibus, unde & inferius adhuc, cum ad Valentinum concilium ab eodem Rege in urbe Valentia celebratum, Forosque illi regno concessos ventum erit, iterata ejus fiet mentio. Sedi ecclesiæ Oscensis præfuit ab anno Christi 1238. ad 1252. usque, quo e vivis excessisse traditur.

III. Compilavit ergo hic Aragoniæ velut alter Tribonianus leges a Suprarbiensis inde Fori tempore promulgatas, & , ut Blan-



1 *Annales de Aragon* lib. 2. cap. 64. fol. 102. col. 4.

2 In *Comment. rer. Aragon.* pag. 166. edit. Cæsaraug.

3 Petrus Ant. Beuterus, theol. doctor, & historicus magnæ famæ *en la Chronica general de España, especialmente del reyno de Valencia*, ibidem anno 1546. primum post 1604. apud Petr. Patricium Mey excusa in fol. par. 1. (non nisi II. partes lucem videre) lib. 2. cap. 41.

4 Loco jam citato.

5 In *Repert. Fororum Aragoniæ* ad verbum *Furtum.*

cæ nostri utamur verbis, antiquum jus regni nequaquam satis artificiose digestum generatim composuit, & libris digessit VIII. ut [1] Jo. Andreas Ustarrozius annotavit, vel, [2] ut Mich. Molinos prodidit, IX. eosdemque propria illustravit glossa, potestate interpretandi glossandique illam collectionem a Rege regnique Aragoniæ statibus in curia generali ei indulta. Notandum vero hic est, quod [3] Ustarrozius eodem loco ex Didaco de Morlanes, gravi ac erudito apud Cæsaraugustanos causarum [4] patrono, citat, vidisse hunc codicem Fororum membranaceum admodum antiquum, & sermone Catalano compositum, cui episcopi illius nostri nomen præfixum, cujus codicis principium, prout ab Ustarrozio sermone Catalano, ita a nobis Latino heic idiomate exhibetur. *Rex Don Jaime*, seu Jacobus, *in comitiis Oscæ Aera* 1285. *seu A. C.* 1246. (forsan 1247.) *mandat & petit omnium consilio ac unanimi voluntate ab episcopo Oscen-*

1 In *notitia MSCtorum*, qui in *Coronationum Regum Aragoniæ* volumine ab Hieron. Blanca conscripto, & a se notis illustrato, & Cæsaraug. apud Didac. Dormerum regni sumtibus 1641. in 4. edito citantur, tit. 5. in fine.

2 In *Repertorio Fororum Aragoniæ* ad verb. *Furtum*.

3 In *notitia MSCtorum* loco jam citato.

4 In principio operum *Vitalis de Canellas*, quæ collegit ac MSta reliquit filio suo Barthol. de Morlanes D. & Capellano, ut vocant, Regis Philippi IV. quem codicem Ustarroz omnium totius regni censet antiquissimum.

*venſi compoſitionem libri Fororum ſapientum virorum ope & auxilio. Quare nos* Don Vital, *Dei gratia episcopus Oſcenſis, mandato honorati & potentis domini Regis ſupra dicti ordinamus Foros juxta Deum & bonam conſcientiam*, cet. *prouti dominus Rex prædictus ad noſtrum conſilium id ordinavit, noſque illos Foros octo libris, ſingulis in ſuos diſtinctis titulos, digeſſimus.* Addit Uſtarroz, ſequi illum codicem ordinem VIII. librorum Fori typis vulgatorum, ultimumque omnium eſſe hujus rubricæ: *De judici de ferre calent & de agua bullent.* Sibique perſuaſum ait, antiquiſſimos illos Aragonum omnium eſſe Foros Catalanos, ſecundum quos in judiciis fuiſſe pronuntiatum putat, usque dum Simon Petri de Salanova ex vernaculo illo in Latinum illos ſermonem converteret, de quo mox dicendum nobis erit, additque M. S. iſtum codicem exſtare in doctoris Jo. Ran juſtitiæ Aragonum bibliotheca.

IV. Sed & aliud adhuc exſtat opus illuſtris noſtri Vitalis de Canellas. Sic enim edocemur a [1] Blanca, qui, præter illud magni laboris & induſtriæ opus Reip. adeo neceſſarium & utile, Vitalem etiam librum varia antiquitatum regni Aragoniæ explicatione refertum compoſuiſſe affirmat. Liber iſte prima hanc inſcriptionem fronte gerit: *In excelſis Dei theſauris, ſive ad Foros Arago-*



1 *Commentar. de reb. Aragonen.* p. 166. edit. Cæsar.

*num regni commentaria IX. libris* : unde factum, quod vulgo *Liber in excelsis* audiat. Meminit ejus primo observantia sub titulo *de Venatoribus*. Operis seu systematis hujus formam nobis exhibet clarissimum Aragonicæ historiæ lumen Vinc. Blasco de Lanuza, canonicus ædis cathedralis Cæsaraugustanæ, & inquisitionis hæreticæ pravitatis, ut vocant, qualificator, in eruditissimo [1] *Annalium* Aragoniæ opere, qui ad codicis Justinianei exemplum librum istum novem ab auctore libris digestum asserit, quorum *I.* agit *de Præparatione* : *II. de Judiciis* : *III. de Præscriptionibus* : *IV. de Obligationibus* : *V. de Contractibus* : *VI. de Nuptiis*, cet. *VII. de Statu & Conditionibus personarum* : *VIII. de Reip. statu, & illuc pertinentibus* ; & *IX.* tandem *de Criminibus corrigendis, sive de Pœnis*. Idem quoque Lanuza annotat, fateri in prologo auctorem, se nullibi in isto libro de *pœnis* egisse, quare necesse est, ultimum, qui *de pœnis* agit, librum ab alio quodam Jacobi I. Regis jussu insertum adjectumque fuisse, id quod diversitas stili scriptionisque satis superque confirmat.

V. Hæc de Vitali nostro primo præcipuoque legum Aragonensium commentato-

re

1 *Historias ecclesiasticas y seglares de Aragon, en continuacion de Zurita en II. tomos, desde* 1480. *hasta* 1618. *Zaragoza* apud Jo. de Lanaja y Quartanet 1622. in fol. tom. 1. lib. 5. cap. 43. pag. 563.

re disseruisse, nobis sufficiat. Reliquum est, ut & per quos profecimus, fateamur, & qui de celebri hoc auctore, ejusque operibus fuere commentati, auctores breviter recenseamus. Eos inter allegari merentur [1] Hier. Blancas, magnus [2] Hier. Zurita, [3] Vinc. Blasco Lanuza, [4] Nic. Antonius, [5] Petrus Ant. Beuterus, [6] Mart. Carrillo, [7] Jo. Franc. Andr. de Ustarroz, [8] Antinchus de Bages, Cæsaraugustanus, inferius nobis laudandus, [9] Don Ferd. de Aragon, archiepiscopus Cæsaraugustanus, [10] Jo. Benedictus de Guardiola, Ord.



1 In *Commentariis* suis pag. 656. 722. 727. 796. editionis Francof. in *Hispaniæ illustratæ* tom. 3.

2 *Annales de Aragon* lib. 2. cap. 64. fol. 120. in fine, & in *Indicibus* Latinis *rer. Arag.* lib. 2. ad ann. 1247. pag. 124. Conferantur omnino *Annalium* libri 3. cap. 32. 33. 34. & 35.

3 Tom. 1. lib. 5. cap. 43. pag. 563. & seq.

4 *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 8. cap. 3. §. 75. 76. & 77. pag. 42. col. 2. & pag. 41. col. 1.

5 In *Chron. gen. de España y Valencia* lib. 2. cap. 41.

6 In *Catalogo de todos los Prelados, Obispos y Arzobispos del reyno de Aragon* (adjecto libro suo *Historia del glorioso S. Valero Obispo de Zaragoza*, ibid. 1615. apud Jo. de Lanaja impresso 4.) in *Catal. episcop. Oscense.* p. 302.

7 In *notitia MStorum Coronat.* Blancæ adjecta, & supra citata.

8 In *Observationibus* suis, *Observ.* penult. in fine, *de Consortibus.*

9 In *Catalogo MS. de los Obispos de Huesca*, quem Ustarrozius vidit.

10 In libro *Tratado de los titulos, que hoy tienen los varones claros y grandes de España*, Madriti apud Alf. Gomez viduam 1595. in 4. impresso, cap. 28. Addatur Domin. de La-Ripa in *Defensa de Sobrarbe* tit. 5. cap. 5. §. 18. pag. 364.

S. Benedicti, in celeberrimo S. Facundi, vulgo *Sahagun*, conventu monachus, [1] Franc. Did. de Ainsa & Iriarte, Oscensis, humaniorumque litterarum in alma patria schola magister, ut reliquos Hispanarum rerum scriptores omittam.

VI. Ad pertexendam ergo legum Aragonensium telam properandum est: antequam autem ad recentiora proferamus pedem, obiter facienda mentio comitiorum illorum, quæ apud Exeam urbem habuit supra laudatus Rex Jacobus I. A. C. 1265. Ultimum ea comitia mortalium illius Regis fuere operum, ac in fine Fororum Aragoniæ voluminis exhibentur: novos enim in iis Foros statuit & fecit, ut verba sunt optimi nostri [2] Blancæ, qui & eosdem, præcipue in quantum *Justitiæ* Aragonici concernunt officium, fusius illustrat. Sed ad alia. Floruit apud Aragonios eadem fere, qua Canellas, ætate, Regibus quippe Jaimo seu Jacobo I. Alfonso III. & Jacobo II. σύγχρονος, & [3] Blanca præcone, lumen & ornamentum Aragonensis claruit Reip. Eximinus Petri, sive, ut [4] Zurita habet,

1 In lib. *Fundacion, excelencias y cosas memorables de la antiquissima ciudad de Huesca*, ibid. apud Petrum Cabarte 1619. in f. edito, lib. 3. cap. 15. Cui adde Dormeri *Discursos historicos politicos de las cortes de* 1678. §. 1. pag. 9. fin.

2 *Commentar.* pag. 167. seqq. edit. Cæsaraug.

3 Ibidem pag. 322. ejusd. edit.

4 In *Indicibus* Latinis lib. 2. pag. 205.

bet, SIMON PERESIUS SALANOVA, anno is 1294. Joanni Zapatæ in illustri ac magnifico *Justitiæ* (qui summus apud Aragones est magistratus) officio suffectus, munus illud omnium regni primum summa cum ordinum statuumque laude, Regisque Jacobi II. gratia ac beneplacito diutine gessit ad annum usque 1330. ad [1] Zuritæ calculum, vel ad [2] Blancæ nostri 1325. qui Zuritæ suum rejicit.

VII. Ab hoc ergo SALANOVA, qui, ut M. ille Varro Romanæ, sic ipse patriæ antiquitatis diligentissimus investigator, earum rerum scientiam, quæ illic usu constabant, a majoribus acceptam auctamque per se pluribus quam antea ac illustrioribus litteris explicavit, *Observantiæ* nomen cepere suum. Fusius de illis passim agit [3] Blanças noster, cui adjici merentur, quæ apud [4] Antonium invenias licet, qui *Observantias* istas asservari manu exaratas, earumque editionis nullam uspiam reperiri mentionem affirmat. Quibus & illud ex [5] Blanca addendum censeo, SALANOVAM quoque de veteribus regni legibus

1 *Annal.* tom. 1. lib. 5. cap. 8. fol. 355. col. 1. & in *Indicibus* loc. cit.

2 *Comment.* pag. 735. edit. Francof. in *Hisp. illustr.* tom. 3.

3 In *Comment.* passim, in primis pag. 802. & 729. edit. Francof.

4 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 9. cap. 4. §. 802. pa. 99. b.

5 In *Commentar.* pag. 735. edit. Francof. sive pag. 322. edit. Cæsaraug.

bus vernaculo gentis sermone concinnatis in Latinam transferendis linguam cogitasse, idque feliciter Regis regnique auspiciis & consensu perfecisse. Solemnibus id affirmat verbis illustris itidem, & *Justitiæ* munere functus Jo. Ximenez Cerdan in [1] *Epistola de Justitia regni Aragoniæ* inferius, ubi peculiariter de illustri illo munere sumus commentaturi, nobis laudanda. Ceterum nec negligi debent, quæ de SALANOVA ejusque circa leges patrias meritis scripta reliquit magnus Hier. Zurita in [2] *Annalium* æque ac *Indicum* [3] Latinorum illustri opere.

VIII. Post illustrem hunc Aragonum *justitiam* alius occurrit eodem in munere suffectus Salanovæ magistratus. SANCTIUS is est EXIMINI AYERVE, sive AYERVIUS, vir auctoritate gravis, ac tum publici, tum privati juris peritus, Alfonsi IV. filii Jacobi II. tempore circa annum 1330. illo justitiæ officio functus. Nonnulla AYERVIUS hic noster observavit circa judiciorum gentis patriæ morem, quæ postea Jac. Hospitalius, inferius cum laude a nobis memorandus, inter eas, quas notavit *Observantias* Salanovæ, collegit, seque ea fatetur ex variis cum eodem AYERVIO habitis sermonibus excepisse. Eum namque

1 Volumini publicarum legum a collectoribus adjecta est pag. 35. a princ.

2 In *Annales de Aragon* lib. 5. cap. 8. fol. 355. col. 1. & lib. 6. cap. 31. fol. 33. col. 4.

3 In *Indicibus* Latinis lib. 2. pag. 205. princ.

que ætate conſequutus eſt, & ipſe eum audivit, & ſcribit de mortuo in *obſervantia* 8. *tit. de probationibus*, his verbis: *Fuit per conſequens abſolutus per ſententiam domini Sanctii Eximini, juſtitiæ Aragonum, me præſente.* Vitam elogiumque AYERVII, & quæ notatu digna ſub ejus magiſtratu geſta ſunt apud Aragones, nemo profundius elegantiusque proſequutus eſt [1] Blança noſtro, quem omnino conſulere oportet.

IX. Et temporis & inſtituti fert ratio, ut nunc proferamus gradum ad celeberrimum illum, cujus præcedenti §. jam meminimus, legum Aragonicarum gloſſatorem: JACOBUM indigito HOSPITALIUM, ſeu HOSPITALEM potius, ut [2] Blancæ noſtro audit, qui præclari patrii juris interpretis [3] encomio eum alibi mactat. Floruit ſummus hic vir circa medium ſæculi poſt Chriſtum XIV. an. nempe 1349. aut aliquanto prius, eodem nempe cum Jo. Lupi Seſſeſſio juſtitia Aragonum tempore, cujus & ſucceſſorum, Blaſci Ferdinandi Herediæ & Dominici Cerdani in illo juſtitiæ munere locum tenens vices geſſit, ut a Blanca noſtro, (qui fere ſolus ex hiſtoricis illius gentis HOSPITALIS hujus fecit mentionem) [4] edocemur. Qui & affirmat, Seſſeſſium illum, cum

1 In *Comment.* pag. 458. ſeqq. edit. Cæſaraug.

2 *Commentar.* pag. 461. & in *Præf.* operis ad Loaiſam Gironem archiepiſcopum Toletanum.

3 Ibid. pag. 318. edit. Cæſarauguſtanæ.

4 Ibid. pag. 477. 481. & 483. ejuſd. edit.

cum judex præesset comitiis Cæsaraugustæ medio mensis Martii 1349. habitis, multam operam atque utilem præstitisse in præclaris legibus, quæ tunc editæ fuere, statuendis, & in earumdem ex patrio sermone in Latinum translatione. Cui rei in primis HOSPITALIS nostri accessisse manum credit, qui ejus Sessessii tum locum tenens erat, jam diuque in multis & gravissimis causis, atque in principibus patronis versabatur. Sessessium enim non tam jura patriæ calluisse ajunt, quam bellicæ rei gerendæ disciplinam. Post & sub altero jam memorato Aragonum justitia, Blasco nempe Ferdinando Heredia; HOSPITALIS noster, ut ipse de se prodit, in ea præcipua re elaborabat, ut quæ apud cives suos solo usu constabant, & post Salanovam diffusa & dissipata erant, in singula sua genera coacta, deinceps suorum scriptorum fide niterentur. Quæ vero ipse de jure patrio didicerat, jam tum in eo videbantur perfecta, & suam quamdam maturitatem habere, unde, quæ ab eo tunc fuere animadversa & notata, HOSPITALIS *observantiæ* dicta sunt. In primis autem sub ultimo jam laudato justitia, Cerdano nimirum, fama noster claruit, quamquam non diu admodum sub illo vixisse potest, cum circa annum 1370. e vivis excessisse noster credatur. Refert & alibi [1] Blancas, eam olim de HOSPITALIS æque ac Jo. Petri Patos, equi-

tis

1 Ibid. pag. 461. ipsiusmet edit.

tis & J. C. inferius memorandi scriptis fuisse opinionem, ut plurimum tribueretur ambobus; in HOSPITALIS tamen laudem postea fuisse illustriorem, quod diligentius ac melius de ipsis legibus scripsisset, ita autem utriusque evanuisse scripta, ut vix ulla hodie exstent. Hæc sunt, quæ de illustri hoc viro ad unius Blancæ ductum enarrari a nobis potuere, cum (id quod mirari satis nequeo) nec volam nec vestigium hujus auctoris apud Nic. Antonium reperire nobis licuerit.

X. Absque dubio etiam HOSPITALI tribuenda sunt, quæ circa hæc tempora, annum nempe 1365. in chronologico suo opere annotata reliquit celebris [1] Jesuitarum sodalis Cl. Clemens, noviter correctos ordinatosque illo anno Aragoniæ Foros asserens, institutumque simul supremum Aragoniæ senatum: de quo tamen posteriori quid sentiam effato, paulo inferius dabo explicatum. Ad alia nunc & recentiora, prout temporis fert ratio, festinandum est. Convertimur itaque ad MARTINUM DID. AUXIUM, supremum itidem Aragonum justitiam, cujus generis antiquitatem a nobili Gallorum urbe Auxiensi profectam esse evicit singulari studio eidem familiæ cognatione junctus Didacus Castejon disertissimus causarum patronus, & Philippi II. Regis in amplissimo ordinum equestrium senatu con-

1 In *Tablas chronologicas de España* ad A. 1365. pag. 138.

consiliarius in ea, quam collegit generis sui memoriam, ceu nobis id affirmat 1 Blancas, ex cujus fide hæc damus. Multum & industria valuit AUXIUS & usu complurium negotiorum: is præterea vir fuit, qui ex comitiali Regis regnique Aragonum decreto anno 1437. scita illius gentis, quæ Salanova, Hospitalis; & alii veteres eorum observatores collegerant, & memoriæ causa in singulos libellos retulerant, undique tamquam flosculos carpens, coegit in genera, in illudque redegit, quod nunc sub *Observantiarum* nomine connexum exstat legibus Aragonicis, volumen; qua in re opera selectorum jurisque prudentum usus est virorum, & omnium eorum, quos jam nominavimus, diligentiam superavit, auctoritatem vero longe vicit, quandoquidem huic ejus labori is magnus dignitatis cumulus accessit, ut publicarum legum instar, publica ipsa lege sanciretur. Sic fecit, quod quisque eorum fecit, & quod omnibus defuit, explevit, ut eleganter docteque scribit 2 Blancas noster, qui & 3 alibi annotatum reliquit, AUXIUM eadem ipsa verba, quibus ab auctoribus vetustis scita illa conscripta fuerant, supposuisse, ne, quæ oportebat, fides in uniuscujusque sententia simpliciter referenda, deesset, quamquam, ut a-

1 *Commentariorum* pag. 496. edit. Cæsaraug.
2 Ibid. pag. 496. & 497.
3 Ibid. pag. 461.

alibi [1] ab ipso edocemur, *Observantiæ* istæ jam ante Auxii tempora collectionemque illam, legum vim atque vigorem obtinuere.

XI. Non possumus, quin infelicia hujus viri fata breviter quoque heic recenseamus. Antequam nempe ad justitiæ munus perveniret, Alfonso V. Regi per chirographum promiserat officio justitiatus cedere, quoties sibi munus bajuliæ generalis regni Aragonum, quo antea functus erat, restitueretur; postea tamen ipse cum ab amicis suis nec ad cedendum munere a Rege cogi posset, forum tulit, seu legem, ne per dominum Regem, aut ejus locum tenentem, vel alios judices posset judicari, nec contra eum aliquo modo per eos procedi, nec compelli ipse ad renuntiandum justitiatum. Admonitus ergo dein, cum plurima ei objicerentur crimina a Rege, ut munere se abdicaret, parere noluit; absente ergo Alfonso Neapolim profecto, a Maria Regina ejus uxore, vel, ut [2] Zurita vult, Alfonsi fratre Joanne Navarræ Rege iterato admonitus, non solum munere illo, sed & libertate se miser abdicavit. Cum enim insolenter se in quodam congressu jactavisset, concubia quadam nocte anno 1439. comprehensus, clam ad Valentinum regnum ligatus deductus fuit, Sætabique, nobili Contestanorum urbe (*Xativa* hodie) conjectus in carcerem,

1 Ibid. in *Præfat.* ad Garsiam Loaisam Gironem.
2 *Annales de Aragon* lib. 14. cap. 52. fol. 255. col. 1.

rem, ubi infelix ac ærumnosus interiit ad diem Kal. Augusti 1440. prout hæc omnia legi apud [1] Blancam Zuritamque poterunt.

XII. Ante omnia vero hæc notari debent, quæ supra, cum de celebri illa sub Jaimo I. Rege facta collectione legum Aragonensium ageremus; omissa a nobis fuere, IIX. nempe illius collectionis libris & IX. sub Jaimo II. cognomento Justo, Rege accessisse, idque de Solanovæ superius laudata versione systematis legum Latina factum non injuria suspicamur. Quin & X. tandem eidem juris Aragonici corpori librum adjici curasse Petrum IV. Crudelem illum & Cæremoniosi nomine apud suos illustrem Regem, [2] auctor est Mart. Carrillo, qui & eidem Petro originem tribunalium justitiæ, seu prætoriorum (vulgo *Audiencias* audiunt) per Aragoniam erectorum tribuit, eademque postmodum per maximum illum Romanorum Imperatorem æque ac Aragonum Regem Carolum I. seu V. in comitiis illis famosis Montisonensibus (ab oppido *Monzon* dictis) anno 1528. restaurata fuisse asserit. Idem quoque celeberrimus auctor loco jam citato nos edocet, eumdem Petrum supremo, qui hodienum Madriti versatur, Aragoniæ senatui dedisse originem, peculiari sancita lege, qua duumviri ex nobilibus,

1 *Comment.* pag. 498. seqq. edit. Cæsaraug.

2 In *Notis ad Inscriptiones Regum Aragoniæ* per Blancam compositas præf. pag. penult. & p. 445. & p. 303.

bus, totidemque ex JCtorum grege regiam ubivis sequi aulam cum præside collegii judice antiquo, *Juez antiguo*, tenebantur; in novam senatum postea istum formam redegit Ferdinandus V. Catholicus anno 1480. eumdemque adhuc 1490. & 1494. refinxit, in melioremque statum collocavit, usque dum ejus ex Joanna nepos Carolus ille maximus ad 1522. colophonem senatus illius constitutioni imponeret. Id tamen & observatu dignum est, hodie, non ut antiquitus Petri IV. ævo, de quibuscumque causis cognoscere supremum istum senatum, sed tantummodo circa gratias sive aggratiandi, ut JCti dicunt, jura versari.

XIII. Complectitur suprema ista curia (nam & hoc scire refert) omnia coronæ Aragonicæ subnexa regna principatusque, puta Valentiæ Balearidumque regna, Sardiniam item, Cataloniamve. Constat autem vicario cancellarii, *Vicecanciller*, qui præsidis partes agit, generali aerarii præfecto, *Thesorero general*, qua dignitate gaudet jure hereditario illustris ducum Medinæ Turrium, sive *Medina de las Torres* prosapia; novem senatoribus, quibus & pars titulo gaudet rectorum, *Regentes*, pars senatorum ex ordine togato, *Consejeros togados*, pars senatorum equestrium, ob glaudium palliumque, quo vestiri solent, *Consejeros de capa y espada* appellari soliti, qui postremi tamen circa causas civiles juridicasque forenses numquam occupantur. Cautum vero publica solemnique le-

ge eſt, ne aliis quam Aragonibus ad iſta ſenatus munera aditus pateat, quin ex unoquoque ſupra memoratorum regnorum ac principatuum indigenæ ſolum admittendi ſunt: quam ob cauſam quoque *Regentes provinciales* audiunt.

XIV. Poſt ſenatotes locus eſt protonotario, cui hodie expedienda incumbunt, quæcumque ad Aragoniam, Balearides, ordinemque equeſtrem S. Mariæ de Monteſa ſpectant, ſuæque domi tenet ſigillum, *cancellariam*que, ut vocant, id quod haud exiguo ſibi ducit honori. Quæ autem Valentiam, Sardiniam, Catalanoſque attinent negotia, a tribus expediuntur ſcribis ſeu ſecretariis. Vices etiam protonotarii eſt qui ſuppleat, *Teniente de protonotario*, cujus eſt æſtimare litteras ac ſcripta, *los deſpachos de la chancilleria*, iſque locum juxta memoratos ſecretarios in publicis ſolemnibuſque actibus proximum occupat. Sequitur illum ſupremus apparitor, *Alguazil mayor*, qui num accenſis Romanorum ſit æquiparandus, ut nonnullis placet, meum heic definire non eſt. Excipiunt eum quatuor edictorum mandatorumque ſcribæ, qui & cameræ audiunt, *Eſcribanos de mandamiento o camara*, horumque eſt juridica quævis expedire. Adeſt & quæſtor, *Recetor*, qui ſumtuum ſenatus rationem habet, una cum calculatore, *Contador*, qui calculum redituum expenſarumque ducit; novem item primæ claſſis ſcribæ, *Eſcribanos mayores de regiſtro*, qui

actorum senatus conscriptionem curant: ut reliquos minores, quorum vix numerus est, scribas silentio prætereamus. Est & fisco hujus curiæ suus procurator, *Procurador fiscal*: assistunt quoque quatuor janitores, *Porteros*, binique curiæ apparitores, *Alguaziles de corte*, una cum relatore causarum extra ordinem nuperrime demum ob causarum numerum constituto, cum olim id oneris ipsis incubuerit senatoribus. Versatur autem tribunal hoc nostrum circa quævis politicum regnorum statum concernentia, verbi gratia, circa statum ac officium proregum, archiepiscoporum, episcoporum, & quæcumque alia ad rem publicam, civilem, domesticamque regnorum, principatuum, ordinisque Montesiani faciunt, qui & nonnumquam de gravioribus extraneisque negotiis consultare a Rege jubentur, prout pluribus apud illos, qui politico de Hispaniæ statu formaque regiminis fuere commentati, videre est. Meritum inter hos damus locum superius jam aliquando laudato Alfonso Nonnii de Castro χρονογράφῳ Caroli II. p. m. Regis, ex cujus curioso ac eleganti libro: [1] *Discurso historico y politico: Solo Madrid es corte, y el cortesano en Madrid*, dicto hæc excerpta dedimus.

XV. Hæc de supremo Aragonum senatu enarrata in memoriam nobis illum Castellæ

 re-

1 Libro 1. pag. 82. seqq. edit. Madritensis apud Anton. Riero & Tejada 1675. in 4.

regnorum revocant. Memini autem, me superius, ubi de legibus disserui Partitarum, earumque primo auctore, sancto illo Rege Ferdinando, de supremo quoque illo Castellæ senatu ejusque origine paucula fecisse verba, nullam autem status conditionisque, qua nunc gaudet, injecisse mentionem, ut ergo & hac in re, quantum per argumenti brevitatem fieri potest, curioso aliquatenus saltim satisfiat lectori, nonnulla heic de illo subjungere placet. Omnium is Hispaniæ senatuum primus præcipuusque est, & Regibus quoque καθ' ἐξοχὴν noster, *nuestro Consejo*, audit, institutusque a Ferdinando III. circa annum 1245. Constat præside, sedecim consiliariis sive senatoribus ordinariis, & fisci patrono. Antiquitus duo erant. In quatuor dispescitur curias sive conclavia (*salas* vocant): I. *de Gobierno*. II. *de Mil y quinientas*. III. *de Justicia*, & IV. *de Provincia*. Astant sex *Relatores*, totidem scribæ, *Escribanos de camara*, duo fisci actores, *Agentes fiscales*, civilium causarum alter, alter criminalium ergo: æstimator processuum, *Tassador de los processos*; & actuarius, *Registrador*, qui rescripta atque decreta senatus sigillo regio munit; duodecim janitores, *Porteros*, quatuor apparitores curiæ sivæ aulæ, *Alguaziles de corte*, quorum duo senatui, totidemque præsidi quotidie ministrant. Bini item quæstores, alter *Recetor de camara* audit, alter de *justicia*, qui mulctas recipit a senatu indictas, exce-

ptis

ptis illis, quæ ad pias operas, ut vocant, sive pios usus impenduntur. In unoquoque conclavium negotia publica, civilia æque ac criminalia expediuntur, & cuique bini ad fores astant atrici seu janitores, bini autem ad exsequenda senatus jussa ac nuntia mittuntur, & hi menstruas vices agunt. Tabulario, quod *archivum* vulgus vocat, unus ex senatoribus præest, sanctiones in illo pragmaticæ cum regiis edictis epistolisve authenticæ asservantur. Præter leges regni, forosque & statuta a Regibus lata, *Autos* hic senatus & *Acuerdos* habet, secundum quos pronuntiare fas est, eaque vel impressa typis exstant, vel manu exarata habentur.

XVI. Quovis mane trium horarum spatio consultat senatus, convenitque semestri æstivo a feria inde *Quasi modo geniti* dicta hora matutina septima ad decimam usque, hieme vero post Kal. Octobreis ab hora octava ad undecimam, vesperi quarta pomeridiana æstate, tertia hieme. In petitionibus aliisque expeditionibus seu *Despachos*, ut vocant, gaudet titulo celsitudinis, *Alteza*, in consultationibus & libellis supplicibus *Majestatis*, & senatorum quilibet *vuestra Señoria* audit, *Señor*, id est, *domine*, cum fit alloquutio. Præses hujus senatus semper in curia gubernationis adest: senaculum ingressus erecto ab omnibus corpore salutatur, comitaturque illum, cum discedit, universa concio ad infimum usque descensus gradum, non revocatura gradum,

 an-

antequam rhedam conscenderit. Neminem umquam invisum it præses, & quacumque de re consultandi gratia concurritur, semper id domi suæ fieri necesse est. Nefastis diebus omnibus cogitur senatus, exceptis solum, quæ in fastos Urbani VIII. Pont. Rom. relata fuere, Sanctorum festis, aliisque nonnullis, puta Bacchanaliorum Cinerumque die, & post Dominicam *in Ramis* ad illam *Quasi modo geniti* usque, quo temporis intervallo in custodiis carceribusque jus dicitur, id quod *Visita general de carceles* vocant; item in vigilia Ascensionis, Corporis Christi, & Assumtionis B. Mariæ. Altera carcerum perquisitio fit in feriis Pentecostes; tertia vero & ultima in illis nato Christo sacris, quæ ad Επιφανείαν usque durat. Particulares autem visitationes qualibet Saturni die peraguntur circa vesperam, ubi duo ex senatoribus, juniorum ex ordine alter, alter ex senioribus utrasque, urbanam nempe & aulicam, *carcel de corte y de la villa*, adeunt custodias juris dicendi causa, eo tamen observato ordine, ut alteruter eorum, assumto alio dein collega (per vices enim id a singulis senatoribus obeundum munus) adeoque bis, duabus nempe hebdomadibus contiguis illo officio fungatur.

XVII. Constituuntur quoque ex senatoribus bini, qui qualibet septimana de *cedulis provisionibus*que, ut vocant, cognoscunt, & subscribunt, ita ut reliqui senatores absque ulteriori habenda super illis deliberatione sigil-

gilla ſolum ſua apponere neceſſe habeant. Vocantur illi *Conſejeros ſemaneros* , eſtque munus illud ambulatorium, ætatis ſemper, temporiſque, quod in ſenatu vixere, habita ratione; alterque ex binis illis in curia occupatur gubernationis, alter in tribus reliquis. Ut cedulæ, litteræ, reſcripta, decretaque quævis valida ſint & firma, præſidis, eoque abſente aut ægrotante, decani, quatuorque ſenatorum manu ſubſcripta ſint oportet. *Septimanarius* autem ille ſenator, ubi cedulam quamdam decretumve non rite compoſitum expeditumve cenſet, vel ſcribæ, ſi ejus id accidit culpa, vel ſenatui ipſi, ſi eum res tangat, ad corrigendum illud remittit. Singulis illud officium exercetur diebus in curia gubernationis, hora poſt meridiem prima. Coacto univerſo ſenatu intrant *ſcribæ*, ut vocantur, *cameræ*, & *relatores*, actaque & ſcripta eorum ad examen vocantur. Quandoque & ſenatus catalogum cauſarum a fiſci patrono conſici promulgarique curat, id, quod ſingulis fere menſibus fieri aſſolet, ut omnibus, quo ſucceſſu quave ratione cauſæ tractentur, hoc pacto innoteſcat. Singulis diebus Veneris horis matutinis *actor fiſci* catalogum cauſarum promit, & *relatores*, qui illarum curam gerunt, ad examen citat, ut & *ſcribas cameræ*, quibus expediendæ illæ creduntur, quorum unuſquiſque ad poſtulata actoris reſpondere, negotiorumque geſtorum rationes reddere tenetur; qui ordo quoad civilia æque ac cri-

minalia obſervatur. Cum ob impedimenta quævis ſenatorum quiſpiam comparere in ſenaculo vetatur, per janitorem illud concilio curiæ gubernatoris, antequam id inde diſcedat, curat denuntiari.

XVIII. Aſſident in ſuprema iſta curia, *ſala de Gobierno*, cum præſide quinque ſenatores, in altera *de Mil y quinientas* dicta totidem, in tertia *ſala de Juſticia* tres, totidemque in ultima *de Provincia*. Prior curia reliquarum trium conſtituit conſiliarios, & ſui ipſius ſenatores a præſide Regi ad eligendum proponuntur. Decernit ipſa in cauſis eccleſiaſticis de omnibus, quæ clero competunt, illorum quoque criminibus, ſpoliis epiſcoporum, ubi Pontifex Rom. expreſſa inhibitione id non impediverit; de rebus item cauſiſque ad concilii Tridentini decreta pertinentibus. Citantur coram ipſo prælati & magnates, qui epiſtolas reſcriptaque ſenatus, quibus aut leges & ſtatuta regia promulgantur, aut ſententiæ judiciariæ contra ipſos decernuntur, acceptare recuſaverint, vel rebelles inobſequenteſque illis ſe geſſerint; idque vel per prætores regios, *Alcaldes de corte*, fieri ſolet, vel etiam per alios judices ordinarios, qui conſilia cum curia gubernationis, & rurſus cum Rege inire ſuper iſtis negotiis tenentur. Heic quoque ſolemnia jurisjurandi præſtant judices & miniſtri civilium rerum, id quod plerumque ſub ſeſſionis finem accidit. Tractat & eadem curia res quaſcumque ad dominii jura, juriſdictio-

ctionemque *altam* & *baxam*, itemque regalia & immunitates ceteras, omnesque alias ad regimen politicum spectantes.

XIX. Alterius curiæ millequingentorum, *de Mil y quinientas*, dictæ judices etiam numero quinque sunt, & a Rege sub cujusvis anni exordium decernuntur, eodem, quo illi curiæ superioris, modo. Eorum officii est relegere processus, qui per iteratam supplicatonem appellando eo devolvuntur, *con la segunda suplicacion*, ut Hispani, vel *per modum revisionis*, ut vulgo dicitur; a mulcta autem 1500. didrachmalium sive *doblas* supplicanti, si prior contra ipsum lata sententia confirmatur, indicta curiæ huic illud *de Mil y quinientas* cognomentum adhæsit. Repetita autem ista supplicatio, sive revisionis actorum petitio in sequentibus casibus locum non obtinet: I. ante XX. post promulgatam priorem sententiam diem: II. in causis criminalibus: III. in causis nobilitatem concernentibus: IV. in causis binis jam vicibus parili sententia decisis: V. in causis minus arduis, valoremque sex mille didrachmalium aureorum, *doblones*, in bonis ac possessionibus, vel trium millium in numerata pecunia non exæquantibus. Est autem, (nam & hoc scire refert) *doblon* seu didrachmalis aureus hoc loco idem quod nobis *ducatus*, sive nummus aureus duorum imperialium pretii.

Si fiscum concernit causa, sufficit ejus patrono cautio mille ducatorum argenteorum;

&

& si egestate laborat supplicans, ejus quoque admittitur *cautio*, ut vocant, *juratoria*, qua solemnibus astringitur verbis ad solvendam, si causa ceciderit, & locupletior aliquando factus solvendo fuerit, istam mulctam. Quæ cautio coram ipso præstanda est Rege, qui quinque olim ad illum actum constituere judices erat solitus, sed ad nostram hanc curiam nunc remittere plerumque solet. Hæc autem revisendo eadem, secundum quæ antea jam decisa lis fuerat, acta & documenta, absque ulteriori probatione ac investigatione, illis solum admissis instrumentis, quæ noviter inventa, anteaque non cognita fuisse jurejurando asseruntur, pronuntiat, litesque dirimit.

XX. In eadem millequingentorum curia examini se submittunt scribarum ambientes officia, quos testimonium probitatis peritiæque a consiliario vel senatore manu sua firmatum afferre oportet, quo majorennes sufficientesque illi muneri gerendo asseruntur. Si examen rite sustinuere, pictarumque scite & eleganter litterarum exemplar commonstravere, 200. solutis pro receptione ducatis argenteis, ad munus istud admittuntur. Præturæ quoque urbanæ, *las Residencias de corregimientos*, heic constituuntur, solo patroni fisci interventu, nulla intercedente alia supplicatione, nisi senatus vita aut munere quempiam privandum, aut ab officio per decennium removendum decreverit. Libellum arcæ cuidam inclusum hæc curia quoque asser-

vat

vat (viridem sive *el verde* dictum, ) in quo eum, quem ex judicibus vel consiliariis ab officio protenus amovere publice nolunt, clam annotant; curiamque justitiæ, ne illum, utpote rerum minus recte gestarum suspectum, cat consultatum, admonet. Item, cum senatoribus curiæ supremæ gubernationis inter se super causa vel argumento quopiam non convenit, alterius hujus curiæ senatores ad decidendam majori suffragiorum numero controversiam advocant.

XXI. Tertia curia seu conclave *Justitiæ* nomine insigne agit de retinendis custodiendisque varii generis edictis, *retenciones de bulas*, perquisitionibus, investigationibus, causis criminalibus, confirmatione ordinationum a magistratibus urbium oppidorumque latarum; licet hæc omnia quoque in reliquis tribus tractari soleant curiis. Ultima tandem & quarta illarum *Provinciæ* titulo insignitur. In hac quæcumque a prætoribus eorumque vicariis appellationum via illuc devolvuntur causæ, solent judicari: & si alia non habent, quæ agant, omnes quatuor curiæ circa processus causasque civiles occupantur: id tamen plerumque observatur, quod causas, de quibus una ex illis cognoscere coepit, ad aliam transferre non liceat. In colligendis suffragiis ab infimis semper & junioribus initium capitur senatoribus, eum in finem, ne, majorum seniorumque auditis suffragiis, auctoritati eorum cedentes in aliam, quam jus fas-

que

que esse duxerint, sententiam se attrahi patiantur. Ad minimum tres semper senatores oportet adesse, excepto scribarum examine, ubi duorum sufficit præsentia, idque ex peculiari Regis sanctione. Idem obtinet in causis, civilibus, quarum valor ducenta millia *maravedisiorum* non excedit. Est autem *maravedisius* triplex, aureus, argenteus, & cupreus: hodieque raro illud nummi genus conspicitur, cum per plures jam annos cudi desierit, argenteorum 256. cupreorum 512. uncialem argenteum seu imperialem, Hispanis *peso, patacon*, vel etiam *real de a ocho* dictum constituunt; idemque & in criminalibus aliquanto postea speciali regio mandato obtinere cœpit.

XXII. Libri typis publicis edendi a supremo hoc Castellæ tribunali examinantur; eorumque exemplar authenticum illic in scriniis asservatur. Consilio quoque & suasu Garsiæ Peresii de Araziel, senatus hujus consiliarii die 19. Maji anni 1623. statutum a Rege est, cathedras seu professorum in academiis Salmantina, Complutensi & Vallisoletana munia, quæ olim studentium stabant suffragiis, a supremo hoc senatu conferri in posterum debere. Causarum patroni, forique Hispani advocati examini hujus senatus se sistere tenentur, id quod circa vesperam fieri consuevit. Infimum inter senatores locum qui occupat, causam ei defendendam proponit, quam meditatus 24. horarum spatio Latino perorare sermone coram senatu tene-

ne-

netur, rationibus dubitandi decidendique cauſam adjunctis. Si rite illud examen ſuſtinuit, ſolemnique jurejurando *immaculatam*, ut vocant, *B. Virginis conceptionem* aſſeruit, muneri advocati inauguratur.

Singulis lunæ diebus, cum mane ex ſenatu abeunt, trium juſtitiæ conclavium judices concurrunt ad tractandas nobilitatis, bonorum in primis & majoratuum controverſias, quas *de tenuta* vocant, ſimulque de ſubſtitutione in majoratibus, quos *vinculos* dicunt, & hæ ut plurimum cauſæ in perquam longævum protrahi ſolent tempus, ita ut integra hominum ad finiendas illas vix ſufficiat ætas.

XXIII. Notatu quoque dignum eſt, univerſum quondam regnorum Caſtellæ regimen peculiari anno 1609. die 9. Februarii edita ſanctione in quinque diſtinctum fuiſſe partes, ſenatorum ex numero uno cuilibet parti aſſignato, qui judicum, clericorum, magnatumque defectus, vitia & fraudes carperet corrigeretque. Singulis ergo biennii ſenatorum illorum unus præſidis in collegio ſeu concilio iſto, quod *de la Meſta* vulgo audit, agit vices, eumque antiquitus academias Salmantinam priori, Valliſoletanam poſteriori officii anno viſitare ac perluſtrare oportuit. Binis illud concilium quovis anno vicibus jus dicit, quarto nempe Martii, & quarto Septembris; illo quoque ex peculiari Regis conceſſione gaudet privilegio, quod licet omnia

re-

reliqua civilia Reip. munera a præside Caſtellæ senatus concedantur, ipse tamen præfecti superioris (seu *Alcalde mayor entregador*) pro arbitrio, cui velit, largiri munus valeat. Ejus leges concilii prodiere typis impressæ Madriti 1509. in fol. titulo hoc: *Leyes de la mesta.* Item *Privilegios de la mesta*, Madriti 1624. in fol. teste catalogo biblioth. Did. de Arce & Reinoso.

XXIV. Quavis hebdomade unus ex senatoribus, quem ordo tangit, est *Consejero consultante* seu consultor, & quavis Veneris die senatus cogitur vesperi apud Regem, qui tunc stipatus prætoribus aulicis, *Alcaldes de casa y corte*, his tamen ad consultationes non admissis, senaculum intrat. Omnes senatores præsente etiam Rege capite tecto assident, qui mos a Ferdinandi inde IV. & Alfonsi ultimi ævo viguit. Comitatur senatum scribarum senior, *el Escribano de camara mas antiguo*, qui adveniente Rege senatu exit; tunc senatorum ille, qui consultor est, memoriter, quæ proponi merentur, recitat, eaque in crastinum expedienda traduntur. Respondet Rex consueta formula: *Como pareçe*: *Hagase*: *Bien está*, hoc est: *Prout optimum videbitur*: *Fiat*: *Ratum esto*. Crastina die mane in curia gubernationis decretum hac formula proponitur: *Conforme al parecer de su Magestad. Ad regiæ majestatis placitum*; & cum hæc apponuntur verba: *Consulta con parecer*, tunc rata habetur res, super qua consultatum fuit,

ea autem omiſſa, liquet denegata eſſe, ſucceſſuque caruiſſe conſultata.

Hæc ſunt, quæ circa illuſtrem Caſtellæ ſupremum ſenatum, unde ſacra Hiſpanæ Themidis oracula prodeunt, ad Nunnii in primis de Caſtro ductum enarrare placuit, lectorique benivolo ea aliquod paritura tædium eſſe non eſt quod metuamus.

## SECTIO VIII.

### *DE LEGUM ARAGONIAE GLOSSIS ET COMMENTARIIS.*

I. IN orbitam revertendum nobis, & quam coepimus, legum Aragonenſium pertexenda tela. Recenſuimus vero præcedenti ſectione illarum fata, progreſſumque & ſtatum, ac a quibus in ſyſtema redactæ, compilatæque fuerint, expreſſimus. Nunc & præcipuos earum commentatores ac explanatores ſummatim ediſſerere animus fert. Primum haud injuria tribuimus locum Jo. Petro de Patos. Miles is, ſive ordinis equeſtris vir & J. C. fuit Cæſarauguſtanus, & Jac. Hospitalem ſuperius laudatum ætate paululum anteceſſit. De hujus & Hospitalis ſcriptis ea olim, teſte [1] Blanca, fuit opinio, ut utrique plurimum tribueretur. Uterque namque ſcriptitavit. Patos quidem commentarios in leges patrias

[1] In *Commentar. rer. Arag.* p. 461. edit. Cæſaraug.

trias edidit anno 1335. antiquitatem ipsam redolentes, & qui valde probati priscis illis sæculis fuerunt. Ita autem amborum, PATOS æque ac HOSPITALIS evanuere scripta, ut vix ulla exstent. Vidimus tamen in excellentis viri 1 Ant. Augustini elegantissima Bibliotheca PATOS æque ac aliorum veterum JCtorum *in Observantias & Fora regni Aragoniæ glossas*, in libro chartaceo annorum tunc, cum Augustinus catalogum componeret, jam CL. vetustate insignem, in forma quadrati.

II. Patos adhuc ætate superat PETRUS NAJA itidem Cæsaraugustanus J. C. cujus in libros Fororum regni Aragoniæ *Scholia* cum aliis Anonymi in eosdem M.S. codice CC. tunc, cum ederetur catalogus, annorum, in forma quadrata contineri legimus in Bibliotheca Cl. 2 Ant. Augustini, Nic. quidem Antonius nullam plane hujus viri in *Bibliotheca vet.* eo, quo debuerat, loco fecit mentionem, sed in *nova* tamen sub alio auctore cognomine, quem ex 3 Ustarrozio au-

1 In MSS. Latinis num. 442.

2 In catalogo manuscriptorum Latinorum n. 443.

3 *En la Defensa de la patria de S. Lorenzo contra el P. Martin de Roa y otros*, quo in libro pluribus Oscam seu Huescam urbem Aragonum patriam Laurentii Martyris fuisse asserere conatur, *Zaragoza* 1638. in 4. Cap. ergo 5. pag. 64. hujus libri citat quemdam Petrum Naja doctorem & canonicum cathedralis Cæsaraugustanæ B. Mariæ del Pilar, virum eruditione singulari præditum, & qui concilio Tridentino interfuerit, librumque *de origine & fundatione B. Mariæ majoris & de Pilari Cæsaraugustanæ* civitatis scripserit.

longe diversum a nostro esse cognoscimus, nudam illius libri ex Augustini catalogo mentionem injicit, nihil cetera apponens, quod vel minimam lucem afferre 1 nostro queat. Huic subjungere placet alium non minus celebrem J. C. qui circa medium sæculi XV. vixit, & Cæsaraugustæ floruit. MARTINUS is est PERTUSA 2 Blancæ elogio, juris & litterarum peritissimus, tum civis gravis, tum in magnorum patronorum numero habitus illis temporibus. Nam & *Zalmetina* fuit (dignitas hæc est præpositi ordinariæ causarum cognitioni Cæsaraugustæ, quasi dicas *præturam urbanam*) & multa de legibus patriis scripsit, quæ apud nonnullos edita exstant, ex quibus colligitur, eum ingenii acumine floruisse nimium. Eadem de nostro recitat, nullius quippe præter Blancæ vestigia sequutus, 3 Nic. Antonius. Nihil ergo hiec aliud adjiciendum restat quam elogium, quo PERTUSAM nostrum ornat 4 J. Franc. Andr. Ustarroz appellando ipsum *virum de juris prudentia optime meritum, & qui leges & foros regni notis eruditis illustravit.*

III. Circa A. C. 1460. adeoque haud longo post Pertusam tempore claruit apud Ara-

K

1 *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 177. a. med.
2 In *Comment. rer. Aragonens.* pag. 497. in fine n.42.
3 *Biblioth. vet.* lib. 10. cap. 16. §. 916. pag. 229. a. med.
4 In *notitia AA. manuscriptorum*, quibus usus Blancas in lib. *de Coronationibus Regum Aragoniæ*, lit. M.

ragones [1] ANTINCHUS DE BAGES, sive, ut Blancæ alibi audit, JO. ANTICHIUS BAGES, Cæsaraugustanus J. C. magnæ apud omnes existimationis, legumque regni Aragoniæ (quæ *Observancias* vulgo audiunt) glossator. Manuscripta illa ejus commentaria in tabulario seu archivo deputationis regni Aragoniæ Cæsaraugustæ asservari ex [2] Mich. Molinos asserit [3] Andr. Ustarrozius, alia tamen ἀπόγραφα quoque reperiri, & penes se unum eorum esse exemplar idem Ustarrozius tradit, qui & animadvertit, BAGESIUM nostrum primum incubuisse colligendis illustrandisque originalibus Cæsaraugustanæ urbi impertitis privilegiis & diplomatibus anno 1471. ejusque operæ suam dein anno 1540. subjunxisse alium, MICHAELEM ANCHIAS dictum, & II. exinde volumina in fol. nata. Idem nos docet Ustarrozius, ANTINCHUM BAGES a secretis seu epistolis fuisse Alfonso V. & Joanni II. Aragonum Regibus. Didacus quoque Jos. Dormer alicubi nos admonet, auctorem hunc JOANNEM, Joannis filium, ANTICHIUM DE BAGES dictum fuisse, & arborem genealogicam Regum Aragoniæ, Alfonsi Regis jussu composuisse, quæ in publicis ordinum seu deputatorum scriniis & monumentis reperiatur.

1 In *Præfat. Commentarior.* ad Garsiam Loaisam Gironem, fol. 4.

2 In *Repertorio Fororum* Aragoniæ fol. 337. col 5.

3 In *notitia AA. manuscriptorum* Blancæ *Coronationibus* adjecto.

tur. Consentit cum Ustarrozio, eademque cum illo & Dormero habet [1] Nic. Antonius in *Bibl.* sua *vet.* numquam satis laudanda.

IV. Viguere & circa Bagesii nostri tempora fama insigni Jo. del Rio & Mart. de Larraga, uterque J. C. inter sui ævi primos numerandus. De his elegantius disserere, quam Blancæ verbis nequimus, ita autem ex [2] Mich. Molino ille de utroque [3] disserit: „Anno Christi 1461. Joannes II. Ara-
„goniæ Rex ad Calatayud urbem, (quæ
„Augusta Bilbilis, celeberrimique Poetæ
„Martialis patria ab eruditis creditur) comi-
„tia celebravit amplissima. Fori in illis con-
„diti fuerunt multi & valde notabiles, nam
„ex variis determinationibus concilii justitiæ
„Aragonum fuerunt per Jo. del Rio, ma-
„gnum jurisperitum, socerum domini Mart.
„de Larraga collecti. Fuere hi ambo illis
„in forensibus causis nimium versati, & in
„tanto numero habiti apud omnes, ut eis
„duobus nemo fere tertius suis ætatibus annu-
„meraretur, quamquam multorum judicio ge-
„ner socerum juris intelligentia anteivit.“

V. Sub Ferdinando Catholico, Aragonum II. Castellæ V. Rege fama præ multis claruit Ibandus de Bardaxi, dominus de Balester & Selva, ex nobili & eque-

 stri

1 *Biblioth. vet.* lib. 10. cap. 11 pag. 194. b. §. 584.
2 In *Repertorio Fororum* Aragoniæ.
3 *Commentariorum* pag. 505. edit. Cæsaraug.

stri Aragones inter cum progenie ortus, quem plurimis aliis ordinis equestris viris & infanzonibus comitiis interfuiſſe Cæsaraugustanis, cum regnum fidem Philippo I. archiduci Austriæ solemnibus astringeret verbis, testatur magnus 1 Zurita in Annalium Ferdinandi V. opere. Doctiſſimi quoque & prudentiſſimi JCti elogio eum ornatum dimittit Petr. Hieronymus de Cenedo, J. C. inferius laudandus in doctiſſimo *Practicarum quæstionum canonicarum & civilium* 2 opere. Haud exiguam hic noster laudem commeritus est opera, quam Foris seu legibus Aragonicis illustrandis impendit, edito hujus lemmatis opere: *Suma de los Fueros y Observaciones del reyno de Aragon, y determinacion, y practica, referidas por Micer Miguel* (Michaelem innuit Molinos) *en su Repertorio.* Cæsaraugustæ apud Joannem Altaraque 1587. in fol. Hæc de nostro BARDAXI annotavit Nic. Antonius in *Bibliotheca* 3 sua *veteri.* Idem tamen in 4 *nova* eumdem, demto solum prænomine *Joannis* tamquam alium & diversum a priori recenset, aliam quoque illic operis commemorans editionem, anni nempe 1592. sub hoc titulo: *Aragoniæ Commentaria in Foros*, eidemque assentitur circa ultimam

hanc

1 *Anales de Aragon.* tom. 5. *en la vida de D. Fernando el Catholico* lib. 5. fol. 252. col. 4.

2 Cæsaraugustæ edito 1614. fol. quæst. 45.

3 Lib. 10. cap. 16. § 888. pag. 226. a. fin.

4 Tom. 1. pag. 472. a. med.

hanc editionem [1] Mart. Lipenius, & catalogus biblioth. Did. de Arce & Reinoso Episcopi & generalis per Hispaniam inquisitoris fidei supra [2] jam laudatus.

VI. Hos omnes ætate sequutus est, Carolo I. Aragonum Regi, ac Imperatori Romanorum V. σύγχρονος, DON MART. CLERIGUET ET CANCER, Oscensis, patriæque sedis præsul, vir multorum testimoniis & dignitate & eruditione haud proletaria illustris ac conspicuus. Scripsit is admodum curiosum & doctum librum, ut ait [3] VINC. BLASCO DE LANUZA in erudito Annalium ecclesiasticorum & sæcularium Aragoniæ opere, cui titulum præfixit: *Discursos sobre los Fueros de Aragon*, quo haud exiguo cum fructu sæpius se in illo Annalium opere adjutum LANUZA ibidem fatetur. Astipulatur eidem [4] Joannes Franc. And. Ustarroz, qui & eodem CLERIGUETI opere M.S. a Don Thoma Cleriguet & Fort auctoris sobrino mutuo accepto se usum in notis ad *Coronationes* illas jam citatas asserit. Conferrique omnino merentur, quæ præter citatos jam scriptores de auctore hoc nostro ejusque laudibus scripta reliquere Cl. Cæsaraugustanus J. C. primumque in patria universitate canonum professor, post abbas montis Aragonis Don Mart. de Carrillo



1 In *Biblioth. jurid.* pag. 27. b. tit. *Arragonia.*
2 Num. 196. pag. 3. edit. Madritensis 1666. in f.
3 Tom. 2. lib. 4. cap. 20. fol. 383. b. med.
4 In *notitia AA. manuscriptorum* sup. cit. lit. m.

llo in egregio opere: [1] *Catalogo de todos los prelados, obispos y arzobispos de Aragon*, & DID. DE AINSA, in laudato quoque superius opere: [2] *Excelencias de Huesca*, quos lector, si placet, adeas, apud Nic. enim Antonium altum de CLERIGUETO nostro est silentium.

VII. Circa eadem tempora floruit, qui multam sibi scriptis apud posteros famam conciliavit, MICH. DEL MOLINO, Aragonensis, Cæsaraugustanæ curiæ advocatus, [3] vir Blanca aliisque testibus non tam juris communis seu civilis Romani, quam privati Aragonici peritus. Utilem is Fori Aragonensis exercentibus praxin præstitit operam, indicem Fororum hujus regni peculiari construendo volumine, quod hac præfixa edidit inscriptione: *Repertorium Fororum & observantiarum regni Aragoniæ, una cum pluribus concilii justitiæ Aragonum determinationibus practicis atque cautelis.* Cæsaraugustæ 1535. & rursus ibidem 1585. in fol. Nec Latino solum sermone opus illud prodiit: sunt & qui in majorem civium suorum utilitatem vernacula ipsum donavere lingua. BERN. enim de MONSORIU, alias CALVO dictus, J. C. Aragonensis eo feliciter functus labore est, ediditque *Repertorium* MOLINI hoc titulo: *Suma*

1 In *Catalogo episcoporum Oscensium* pag. 227. edit. Cæsaraug. 4.

2 Lib. 3. cap. 3. & 33.

3 *Commentariorum* pag. 511. fin. edit. Cæsaraug.

*ma de todos los Fueros y Obſervancias del Reyno de Aragon, y determinaciones de Miguel Molino*: [1] Zaragozæ ſeu Cæſarauguſtæ 1589. in 8.

VIII. Nec deſunt, qui ſcholiis commentariisque eidem Molini *Repertorio* illuſtrando operam impendere ſuam. Teſtem rei producimus HIER. DE PORTOLES, virum magno ingenio, multaque doctrina, nec non & ſingulari prudentia, ut verbis eum laudemus [2] Nic. Antonii, florentem. Balbaſtrenſis is ex Aragonibus fuit, J. U. doctor, ac in Cæſarauguſtana aliquamdiu univerſitate jus canonicum profeſſus eſt. Foro poſt, cauſiſque tuendis civilibus ſe mancipavit, patronumque pluries non abſque laude & ſucceſſu egit. Sacro quoque ordini initiatus Romam poſtea cogitavit, Petrique Lunnelli Cajetani præſulis, Antoniique ſeu Pancratii conventus abbatis opera & favore nixus beneficium inde eccleſiaſticum, (quod vulgari ſermone *plebania* audit *de Badenas*) reportavit. Opus autem, quod jam laudavimus, cujuſque gratia in hanc ſcenam auctorem ejus prodire fecimus, hoc inſigne titulo: *In Repertorium Fororum & Obſervantiarum regni Aragoniæ Mich. Molini ſcholia*, prodiit Cæſarauguſtæ 1587. & 1590. II. tom. Meminit quidem



1 Nic. Antonius *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 112. b. & tom. 1. pag. 170. b princ.

2 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 453. a. fin.

[1] Mart. Lipenius alius adhuc editionis Hispali anno 1589. in 8. excusæ. Cum vero nullus reliquorum illius meminerit, nec nobis illam videre contigerit, parva nimis libelli forma nos subdubitare de illa facit. Idem auctor, ut & hoc orbiter moneamus, non inutile argumento juridico opus lingua vernacula scripsit de juridicis Daroccæ urbis hac epigraphe editum: *De la jurisdiccion de los jurados de Daroca*. Cæsaraugustæ 1590. in 4.

IX. Idem, quod Portoles in Molini quoque *Repertorium* tentavit Jo. Mart. Miravete de Blancas. Aragonius hic fuit, J. C. fiscique regii Cæsaraugustani patronus, ortus ex clarissima illa, quæ Hier. Blancam erudito orbi dedit, Blancarum progenie; ejus quippe sobrinus, & cum absque suscepta ex Margarita Malo uxore prole obiret, heres bonorum scriptus. Vir fuit pietate, probitate vitæ, doctrinaque singulari conspicuus, mundanarumque tandem rerum vicissitudinumque pertæsus, habitum ordinis Carmelitarum discalceatorum reformati sodalium cum eorum vitæ genere elegit, assumto novo Fr. Martini de los Martyres nomine. Testantur id viri multæ famæ & auctoritatis Vincentius Blasco de Lanuza in erudito *Annalium Aragonensium* [2] opere, ubi inter primos

[1] In *Biblioth. jurid.* pag. 27. b. fin.
[2] Tom. 2. lib. 1. cap. 9. pag. 31. b. med.

mos in noviter fundata universitate Cæsaraugustana jura docuisse eum asserit, mortuumque in novitiatu, ut vocant, ordinis, non absque sanctimoniæ fama. Uxor ejus divitis, pulchræ, nobilisque a [1] Lanuza ornata elogiis exemplum sequuta mariti, monialium Carmelitarum discalceatarum conventum Bilbili sive *Calatayud* in urbe fundavit, ibidemque prior seu abbatissa electa monasticam quoque vitam egit. Cumque antea Eleonora audiret Ximenez, novum illic sororis *Eleonoræ de la Misericordia* nomen assumsit, idque circa annum 1604. evenisse Lanuza credit. Conferantur de nostro MIRAVETE doctor Petrus Calixtus Ramirez in egregio [2] *de lege regia* opere inferius laudando; [3] Fr. Martinus de la Madre de Dios; Don Mich. Bapt. de Lanuza in [4] *Historia vitæ matris Isabelæ de Sancto Domingo* vernaculo sermone scripta; Fr. Hier. de S. Josepho in [5] *Hist. Ord. Carmelit. discalc.* Hispane edita, aliique [6] Ustarrozio citati. Hic ergo MIRAVETI *Scholia* ad

1 Ibidem lib. 5. cap. 35. pag. 532. b. fin. & 533. a.

2 §. 11. fol. 99.

3 Ipse Carmelita nudipes, & generalis ordinis, ut vocant, diffinitor, in libro: *Practica y exercicio de bien morir.* Madriti 1628. in 12. cap. 6.

4 Et Madriti 1638. in fol. edita lib. 4. cap. 12.

5 Hoc tit. *Historia del Carmen descalzo.* Madriti 1637. in fol. lib. 1. cap. 16. fol. 144. & cap. 17. fol. 160. qui liber tamen, quoniam sodalibus ordinis non placuit, Antonio teste suppressus est.

6 In *Præfat.* Blancæ *Coronationum*, ubi de ejus obitu agit.

*ad Repertorium Mich. Molino* exaravit, quæ lucem publicam hactenus non aspexere, Manuscripta tamen eadem in amplissima Albarrazinensis episcopi Gabr. Soræ bibliotheca Cæsaraugustæ vidisse se testatur [1] Nic. Antonius, qui, quod miror, vitam hujus nostri nullibi recensuit.

X. Jaimus quoque Soler, cujus superius, ubi de *Repertoriis* egimus legum Castellæ, cum laude meminimus, iterato heic memorandus venit ob præstitam circa Aragoniæ leges eamdem operam. Edidit enim *Suma de los Fueros y Observancias del Reyno de Aragon*, Cæsaraugustæ 1525. Nec id silentio prætereundum opus, quod super omnibus regni Aragoniæ Observantiis meditatus commentariorum titulo est celebris ille J. C. Petrus Calixtus Ramirezius Cæsaraugustanus, juris Cæsarei in academia patria antecessor, justitiæ dein Aragonum vicarius seu *lugarteniente*, regiusque tandem criminalium causarum judex. Dolendum autem merito, delitescere adhuc in scriniis tale opus, quod, si ex reliquis ab auctore editis ingenii monumentis metiri velimus, egregium doctumque non esse nequit. Aliud enim typis ab eo editum opus exstat, quod universi eruditi orbis applausu exceptum fuit, *de Lege* nempe *regia analyticus tractatus, qua suprema & absoluta in principes potestas translata*

1 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 2. pag. 112. b. med.

*ta fuit*, cum quadam corporis politici, ad instar physici, capitis & membrorum connexione. Cæsaraugustæ 1616. in fol. Quo libro jura majestatis, in primis Regibus Aragoniæ competentia egregie dilucidavit, & ob id laude singulari a bibliographis ornari commeruit. Conf. Lanuzam tomo II. lib. V. cap. 46. pag. 559. a fin.

XI. Huic alium subjungimus, ætate quidem inferiorem, dignitate vero & fama, si non superiorem, parem saltim. Lud. is est de Exea & Talayero, summo apud Aragones justitiæ munere functus, quem virum summis meritisque extollunt laudibus Jos. in primis [1] Moretus, & [2] Did. Jos. Dormer, qui in primis illustrem se Exeam nostrum reddidisse *Commentariorum in Observantias regni Aragoniæ* vasto, quod paravit, opere, quod lucem adhuc fugere publicam dolent merito omnes, qui viri merita, & quæ exspectanda inde sint, norunt. Ut ex ungue saltim leonem quilibet cognoscat, solum heic dissertationis unius (plures enim & perdoctas composuit) dabimus titulum, qui talis est: *Dissertacion fiscal sobre la jurisdiccion del Capitan de guerra segun los Fueros de Aragon,* quam

1 *Congressiones apologeticas contra el P. La-Ripa, Congr.* 14. n. 6. fol. 476.

2 In *Progressos de la historia de Aragon* lib. 3. cap. 9. §. 12. pag. 304. b. fin. Conf. *Exeæ* elogium apud La-Ripam in *Defensa de Sobrarbe* tit. 3. cap. 4. §. 4. fin. p. 146. med. & alibi passim.

quam juſſu Philippi IV. Hiſpaniarum Regis in Latinum ex vulgari ſermonem auctor tranſtulit, typiſque regiæ curiæ, ſumtibus edi publicis curavit anno 1668. in fol. Idem auctor a pluribus viris celebrioribus laudatur ob editum vernaculo quoque ſermone *Diſcurſum hiſtorico-juridicum de inſtauratione eccleſiæ Cæſaraugustanæ in templo maximo Servatori ſacro*, (*S. Salvador* vulgo dicto), qui circa idem tempus Cæſaraugustanis quoque typis prodierat.

XII. Hæc ſunt, quæ de præcipuis Fororum & Obſervantiarum regni Aragoniæ commentatoribus dici ediſſerique merebantur. Haud equidem nos fugit, majorem adhuc illorum, quem heic conſtruximus, catalogum dari poſſe, ſed & argumenti, quæ nobis curæ eſt, brevitas, & exiguus librorum, qui ad manus nobis, extra Hiſpaniæ nunc conſtitutis fines, ſunt, ulterius evagari, prolixioreſque circa illud argumentum eſſe vetat. Reliquum ergo nunc eſt, ut & præcipuos praxeos fori Aragonici daduchus, & illos quoque, qui tum de ſupremo juſtitiæ illius regni, tum & de aliis juridicis Reip. illic muneribus, quædam ſcriptis tradidere, ſummo itidem compendio recenſeamus. Antequam autem eo progrediamur, monendum paucis eſt, typis expreſſos quoque haberi plurimos Aragonum Foros peculiariter ſparſis vicibus editos; nos eorum ſolum, quos nobiſmet ipſis videre olim contigit, memores eos

heic summatim adjiciemus : *Los Fueros y Cortes de Aragon en Balbastro*, sive Fori illi, qui in comitiis in urbe Balbastro habitis lati promulgatique fuere anno 1626. Prodiere typis illius regni anno sequenti 1627. in fol. *Los Autos y Cortes de Aragon*, sive acta in comitiis Aragonensibus, anno 1554. edita sunt in fol. *Fueros y Acuerdos de Aragon*, sive Fori & placita Aragonica Cæsaraugustæ statuta prodiere quoque sub titulo *Ordenanzas de Zaragoza*, ibidem 1567. in fol. recusa postmodum hac inscriptione: *Recopilacion de las Ordenanzas de Zaragoza*. Ibidem 1615. in fol.

XIII. Nunc ergo ad eos convertimur, qui de juridico regni Aragoniæ statu quædam fuere commentati. Multam præ reliquis sibi peperit laudem in hoc argumento FRAC. DE SANCTA CRUZ & MORALES. Aragonensis ipse, J.U.D. & fisci Cæsaraugustanæ curiæ advocatus, „ qui (ut verba [1] Ustarrozii Latina „ addam) & muneri illi magna cum omni„ um approbatione præfuit, & multa eru„ ditione, ac improbo labore varias juris al„ legationes confecit, multam in primis lau„ dem meritus insigni opere juridico & histo„ rico, quo & leges patrias municipalesque „ regni explicandas, & statum juridicum ejus„ dem regimenque politicum uberius pertra„ ctandum sibi sumsit, titulo illi operi præfi-

„ xo

1 In *notitia manuscript. Coron.* Blancæ adjecta. lit.F.

„ xo tali: *Noticia sumaria de las coſas de Ara-*
„ *gon, tratado pertenecientе a ſu gobierno po-*
„ *litico;* " exemplarque illius libri authenticum ſe poſſidere Uſtarrozius teſtatur, ἀνέκδοτον autem in hunc uſque latere diem merito dolemus. Addit idem, graviſſimum hunc Aragoniæ Tribonianum anno 1604. brevem *de la Val de Aran*, ſive Aranenſi ad Pyrenæum valle relationem hiſtorico-juridicam ad Regem Philippum III. miſiſſe, ſibique illius exemplar MS. una cum aliis ejuſdem auctoris opuſculis communicatum fuiſſe a Doct. Barthol. de Morlanes ſupra laudato in notis. Conferatur omnino 1 Antonius, qui eadem cum Uſtarrozio habet.

XIV. Modum condendi leges, juridicaque regni negotia tractandi, prout in comitiis conventibusque ſtatuum, *Cortes* vulgo dictis, fieri conſuevit, peculiari opuſculo exhibuere HIER. BLANCAS, & ejuſdem cognominis MARTEL. Ille quidem Cæſarauguſtanus Martini, ejuſdem urbis civis & notarii, filius ex Catharina Thomaſia genitus; hiſtoricorum de patria optime meritorum ex numero unus, quem obiiſſe anno 1590. die XI. Dec. tradit, qui ejus vitam libro jam allegando præfixit, Jo. Franc. Andr. Uſtarroz, & ex eo 2 Nic. Antonius. Inter alia ingenii monumenta, quæ luci publicæ expoſuit, haud infimum il-

1 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 363. b. med.
2 *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 435. b. fin.

illud opus meretur locum, quod *Modo de proceder en las cortes de Aragon* nuncupavit. Diu quidem liber iste M. S. latuerat in scriniis, cum tandem ejus additionibus Jo. MATTHIAE STEPHANI illustrati compos factus Jo. Franc. Ustarrozius eum sumtibus regni edere curaret Cæsaraug. apud Did. Dormerum 1641. in 4. Meritis eum adhuc ἀνέκδοτον laudibus extulerunt Did. de Morlanes supra laudatus in eleganti allegatione juridica, quam anno 1605. edidit ad tuendum ecclesiæ majoris Cæsaraugustanæ *del Pilar* dictæ primatum in comitiis, [1] Balthasar Amador in alia ejusdem argumenti [2] allegatione, [3] Gabriel de Sora episcopus Albarrazinensis, [4] Didacus de Murillo, [5] Vicentius Blasco de Lanuza, [6] Doctor Vicentius de Hortigas, assessor gubernatoris Aragoniæ, in erudito *Discursu*, quem scripsit *pro comite de Fuentes*, [7] Nic. Antonius, aliique plures. Confer ipsum auctorem BLANCAM, qui in *Coronationum* volumine sæpius hujus opusculi [8] meminit. Ejus etiam co-

1 Parte 3. n. 115. 116. fol. 55.
2 Num. 281. fol. 25.
3 In catalogo librorum suæ bibliothecæ fol. 145.
4 In opere *de las excelencias de Zaragoza*, tract. 2. cap. 51. fol. 447.
5 *Historia de Aragon* tom. 2. lib. 3. cap. 21. fol. 312. lib. 4. cap. 28. fol. 379.
6 *En la causa de Mora*, fol. 48.
7 Loc. jam cit. num. 2.
8 Lib. 2. cap. 3. fol. 187. & lib. 3. cap. 2. pag. 196.

codicem M.S. exſtare in biblioth. regia Paris. vol. 10215. MStorum notavi.

XV. Alter fuit HIER. MARTEL, cujus de eodem argumento liber ab Uſtarrozio una cum Blancæ editus, eique annexus fuit. Cæsaraugustam is habuit patriam, parentes Augustinum Catharinamque Losillam, auxorem Helenam de Huete, id quod in ſupplementum Antonii annotare volui. Anno is 1597. Jo. Coſtæ doctori, & historico regni die 30. Junii mortuo ſuffectus in illo munere eſt. Præter alia, quæ ſcripſit, quorumque mentionem fecere 1 Vinc. Blaſco de Lanuza, 2 Tho. Tamajus de Vargas, 3 Uſtarrozius, ex eoque 4 Antonius, eſt hujus tituli liber: *Forma de celebrar cortes en Aragon*, quem dictus Uſtarroz notis locupletatum Blancæ, prout jam dictum, adjunxit.

XVI. Id quod ſingulatim annotari meretur opus, quod circa ultima a Carolo II. p. m. Hiſpaniarum Rege Cæſarauguſtæ habita anno 1678. comitia verſatur, & auctorem habet ſæpius jam laudatum DID. JOS. DORMERUM, archidiaconum Suprarbienſem eccleſiæ Oſcenſis, conſiliarium regium, & in ſupremo Aragoniæ ſenatu ſecretarium, ac re-

1 *Hiſtorias eccleſiaſticas y ſeglares de Aragon*, lib. 4. cap. 20 fol. 384.

2 In lib. 10. *Novedades antiguas*, ſive *Defenſa de Dextro*, *novedad* 6. fol. 31. edit. Madritenſis apud Petr. Tazo 1624. in 4.

3 In Præf. ejus lib. *Forma de celebrar cortes.*

4 In *Biblioth. novæ* tom. 1. pag. 446. a. pr.

regni ſupremum hiſtoriographum. Titulus libri eſt: *Diſcurſos* (siete) *hiſtorico-politicos ſobre lo que ſe ofrece tratar en la junta de los iluſtriſsimos quatro brazos del reyno de Aragon, de los eccleſiaſticos, nobles e hijosdalgos, y de las univerſidades, que el Rey N. S. ha mandado congregar el año de* 1684. *en la ciudad de Zaragoza, conforme lo diſpueſto por S. M. en las cortes de* 1678. *Zaragoza* 1684. *in* 4. De comitiis etiam Oſcenſibus an. 1626. habitis a Philippo IV. Rege, ejuſque in illis ad coronæ Aragonicæ ſtatus facta propoſitione quædam peculiari ſcripto diſſeruit FR. GASPAR PRIETO, præfectus generalis ordinis S. Mariæ de Gratia, ſeu *la Merced*: inſcriptum illud eſt ita: *Parecer acerca de la propoſicion de S. M. en las cortes que tiene en ſu corona de Aragon*, Hueſca apud Petr. Bluſon 1620. in fol.

XVII. Erudite in primis ac exacte res Aragoniæ juridicas politicáſque pertractavit DID. MORLANES, Cæſaraugustanus, vir, communi civium elogio pius ac induſtrius, in volumine peculiari, *Alegacion ſobre poner Virey eſtrangero en Aragon* nuncupato, qui lucem aſpexit Cæſaraugustæ 1591. in fol. Non neceſſe eſt, pluribus nos in decantandis graviſſimi hujus advocati ac J. C. laudibus detinere, cum illud jam ante nos egerint [1] do-

L ctor

1 In lib. *Collectanea juris canonici* nuncupato & Cæſaraugustæ edito 1592. in fol. *Collect.* 43.

ctor Petrus Hier. Cenedo mox nobis laudandus; doctor Jo. Costa Aragonensis, J. C. ac professor legum Rom. Cæsaraugustanus, historicus item patriæ post Zuritam Blancamque tertius, in erudito, quod candidatus hujus muneris commodum edidit, opere [1] *de conscribenda rerum historia*; [2] Hier. Martel, [3] doctor Hier. Ximenez de Aragues in libro, quem de *Præfecti* seu *Bajuliæ officio* scripsit; [4] Jo. F. A. Ustarrozius; [5] Fr. Dom. de La-Ripa superius laudatus; [6] Nic. Antonius; [7] Did. Jos. Dormerus; [8] Fr. Did. de Mu-

1 Liber ille in 2. libros dispescitur, exhibetque totius historiæ institutionis brevissima & absoluta præcepta, editus Cæsaraugustæ apud Laur. Robles 1591. in 4. in *Præfat. ad lectorem.*

2 In libro *Forma de celebrar cortes* cap. 11. fol. 12.

3 *Discurso del oficio de bayle* § 12. n. 12. fol. 111.

4 In *la Defensa de la patria de S. Lorenzo* cap. 5. fol. 88. princ. ubi eum vocat: *Varon de singular doctrina, ilustrador de las antiguedades de nuestro reyno. No lo callaria su libreria, emula de las que celebraron las plumas de los historiadores, y insigne abogado*: additque ejus filium esse doctorem Augustinum de Morlanes, regentem, (cum librum hunc Ustarroz ederet) supremi senatus Aragoniæ; item in notis ad Blancæ *Modo de celebrar cortes en Aragon* cap. 3. fol. 8. & in not. ad Martel de eod. argumento cap. 39. fol. 44.

5 In *Defensa historica por el reyno de Sobrarbe* tit. 3. cap. 8. n. 10. fol. 190.

6 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. *lit. D.* fol. 231. col. 2.

7 In *Progressos de la historia en el reyno de Aragon* lib. 3. cap. 12. §. 7. pag. 329. col. 1. & lib. 2. cap. 1. §. 6. pag. 119. col. 1.

8 In *Tratado segundo de las excelencias de Zaragoza* cap. 51. fol. 450. col. 2. qui liber Barcinone prodiit apud Seb. Matheu. 1616. in fol.

Murillo, aliique. Similem in hoc argumento laborem, sed minoris ponderis, & aliquot saltim foliorum opere præstitit doctor Balth. Andreas, Aragonus J. C. decretorumque professor Cæsaraugustanus, hujus tituli: *Breve discurso acerca la jurisdiccion de la Capitania general del reyno de Aragon, y de su exercicio.* Cæsaraugustæ impressum illud est die 25. Martii anno 1620. sed a Nic. Antonio in *Bibliotheca* sua omissum. Idem quoque Andreas in hoc opere similis argumenti aliud laudat a licent. Petro Lud. Martinez scriptum, sed nec nobis, nec Antonio visum.

XVIII. Omnino & heic laudari merentur ii, qui de supremo Aragonum magistratu, *el Justicia* nuncupato, ejus juribus, origine, officio, gestisque quædam litteris consignarunt. Primus nobis memorandus est multoties jam laudatus Blancas, qui ipse in epistola ad Garsiam Loaisam Gironem *Comment. rer. Aragon.* præfixa non diffitetur, se eosdem illos *commentarios* primum eo solum fine construxisse, ut essent *Fasti justitiales,* & memorabilia sub unoquoque magistratu gesta juxta temporis enarrarent seriem. Astipulatur huic nostro effato, quod Cl. Did. Dormerus in superius jam laudato opere *Progressos de la historia en el reyno de Aragon* dicto [1] annotavit vidisse se Madriti in Don



1 Lib. 2. cap. 1. §. 6. fol. 119. col. 1. fin.

Pasqualis de Aragon cardinalis & archiepiscopi Toletani selecta bibliotheca originale & auctoris exaratum manu exemplar istorum commentariorum hoc præfixo titulo: *Fastos de los Justicias de Aragon*, & epistola quadam dedicatoria ad comitem de Sastago, quæ tamen lucem postea non vidit, & adhuc M.S latet. Hic ergo BLANCAS ab origine inde illius dignitatis, primoque magistratu Petro Eximini, qui circa A. C. 1114. floruit, exorsus suum ad 49. usque, Jo. puta Lanuzam IV. & an. 1588. quo istud edidit, perduxit.

XIX. Primus de supremo illo justitiatu scribere aggressus olim est, teste [1] Blanca, Jo. EXIMINI CERDANUS, Aragonum ipsemet justitia. Dominici fuit filius, & in magistratu successor anno 1390. constitutus. Vir non solum sapiens ac disertus, variaque refertus eruditione, sed lepore quoque & venustate affluens, ita tamen, ut si de jocosis loqueretur rebus, sales, si de seriis, severitatem adhiberet non invidiosam aut popularem, sed infimo cuique gratissimam. Antequam justitiæ obiret munus regalis fisci erat patronus. Magistratum autem ea laude gessit, ut ipsa fassa sit patria, laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, in agendo industriam, in conficiendo maturitatem, ac in præcavendo consilium in hoc uno tanta fuisse, quanta vix in pluribus aliis justitiis visa sunt. Munus illud

1 In *Commentariis* passim; & in *Præf. ad Lectorem.*

lud justitiæ, ut ipse fatetur, triginta trium annorum spatio gessit, ad annum usque 1423. quo ab Alfonso Rege, cujus iram incurrerat, magistratu abdicare se jussus est; diu tamen adhuc vivus superfuit, trium justitiarum sequentium ætatem attingens, ac sub Martino Didaci Auxio anno 1435. obiisse creditur, paterno in cathedrali Cæsaraugustana æde tumulo illatus. Paulo ante obitum summus hic vir, eodem nempe anno 35. epistolam illam, cujus causa eum heic recensuimus, scripsit, qua in se ipsum & plures alios justitias in medio posuit. Maximarum illa rerum plena est, & interdum etiam jocosa; verum, dum eorum, qui hunc magistratum gesserunt, nomina curavit enodare, a Petro Petri sumsit exordium scribendi, quem plures alii antecesserunt. Annorum vero notationem, quæ alioquin fundamentum erat, omisit adhibere, nonnullosque justitias, qui vixerunt, vel sua vel parentum ætate, numerare. Unde fit, ut mutilam prorsus ex illis scriptis notitiam eruamus; jure tamen laudandus videtur, quod primus illud argumentum scriptis illustrarit. Ei autem honos a majoribus patriis habitus est tantus, sola ut ex omnibus suarum rerum monumentis, publicarum legum volumini connexa, earumdem videatur vim ac dignitatem obtinere, longe multumque alia quæcumque auctoritate & fide superare. Consentit Blancæ nostro magnus

 Zu-

[1] Zurita tum in *Annal.* tum in [2] *Indicum* Latinorum opere.

XX. Ipse quoque Hier. Zurita argumentum hoc tractandum peculiari libro sibi sumserat, ut ipse [3] Blancas de eo testatur, cujus hæc sunt verba: *Ipse noster* Zurita, *clarissimus historicus, disertissimus atque eruditissimus vir, qui universam nostrarum rerum narrationem gravi quidem stilo, egregiaque ac singulari diligentia complexus est, earum magnitudine præpeditus, non potuit argumentum hoc suo ornare studio, atque accuratiore opera perpolire. Sed illum scimus ad id, paucis antequam moreretur diebus, otium sibi domesticum præparasse, repentinumque postea interitum hoc ejus consilium prævenisse. Cujus si ad hoc cumulus accessisset, ea illius ingenii vis fuit ac facultas, ut dubitandum non sit, quin solum hoc, quod aliis exile fuisset ac macrum, jam illius cultura uberrimum ac ornatissimum redderetur.* Prolixiores nos in hujus viri laudes esse vetat integrum, quod de illis compilavit volumen Ustarrozius, *Progressos de la historia de Aragon, y elogios de* Ger. Zurita dictum, quo benivolum lectorum remittimus.

XXI. Non decet nos præterire heic silentio

1 Lib. 7. cap. 17. fol. 103. col. 3. & alibi.
2 Lib. 3. ad A. C. 1390. pag. 366. med.
3 In *Præf. Commentarior.* ad *Garsiam Loaysam.*

tio virum & de patria & de justitiatu ejus, quam publica declamatione defendit, optime meritum. Jo. Petri seu Perez de Nueros est, Philippi II. Hispaniarum Regis consiliarius, fiscique ac patrimonii regni Aragoniæ, unde ortum traxit, patronus disertissimus. Factum enim est, ut Philippo II. regnante Jo. Lanuzæ ejus nominis IV. Aragonum justitiæ (eorum, quos Blancas recensuit, ultimo) ejusque vitæ perfidi quidam ac nocentes insidiarentur: ast detecta eorum conspiratione comprehensi, in judiciumque vocati a nostro Nueros sunt, cujus habitam ea super re ad judices criminationem, seu *appellitum*, ut vocant, *criminalem*, & rerum & verborum pondere gravem (typis quod sciam publicis non editam) carptim exhibet [1] Blancas, qui passim ejus meminit. Cui addi merentur, qui de nostro ejusque laudibus egerunt [2] Hier. Portoles superius laudatus, [3] Hier. Martel, D. Michael Martinez a Villar, J. C. & ipse justitiæ Aragonum locum tenens quondam, ultimoque regens supremi Aragonici senatus, qui Madriti floret, in erudito, quod in patriæ, in primisque Bilbilitanæ dioeceseos laudem scripsit opere: *Tratado del patronato, antiguedades, gobierno y varones ilu-*

L 4

1 *Commentar.* pag. 354.358. & 417. edit. Cæsaraug. sive 752. & 784. Francofurtensis.

2 In *Scholiis ad Repertorium Mich. Molinos* tom. 1. fol. 439. col. 1. n. 55.

3 In *Forma de celebrar cortes en Aragon* cap. 11. f. 12.

*ilustres de la ciudad y comunidad de Calatayud y su arcedianato*, [1] dicto, cujus alteram partem M.S. asservat filius Martinus, S. Jacobi ordinis eques, [2] Ustarrozio teste: (Hic auctor, ut obiter id moneam, *Interpretationi III. Epigrammatum Cæsaraugustanæ ædis cathedralis* Palmæ Balearium metropoli, ubi tunc senator curiæ supremæ erat, anno 1609. apud Gabrielem Guasp in 4. editæ adjunxit appendicem de *innata regni Aragonum fidelitate*, qui & aliquam lucem argumento, quod tractamus, afferre potest:) [3] Don Vincentius Blasco Lanuza, Don Manuel Faria de Sousa, Lusitanus, ordinis Christi eques in eleganti, quem de Martini Bapt. Lanuzæ Aragonum itidem justitiæ vita concinnavit & Madriti anno 1650. in 4. edi curavit, [4] libello: [5] Ustar-

1 Et Cæsaraugustæ apud Laur. de Robles 1598. in 4. edito, parte 10. fol. 514.

2 In *Defensa de la patria de S. Lorenzo* cap. 6. pag. 132. fin.

3 Tomo 2. *de las historias de Aragon* lib. 4. cap. 18. fol. 378. col. 2.

4 Cap. 4. n. 1. fol. 10. & cap. 8. n. 10. fol 24.

5 In *Not.* ad lib. 3. *Coronationum* Blancæ, cap. 19. pag. 249. & cap. 20. pag. 255. & in *Notitia MSS.* eidem adjecta *lit. I.* item in *not.* ad Blancæ *Modo de celebrar cortes*, cap. 14. pag. 62. & 66. item in parte 2. *de los Annales de Aragon de Leonardo de Argensola*, (edita per Mich. Ramon. Zapaterum Aragoniæ & Cisterciensis ordinis historiographum, Cæsaraugustæ apud Petri Lanajæ heredes 1663. in fol. qui liber publice vendi in Castellæ regnis ob nimis acrem libertatis Aragonicæ contra Reges vindicationem prohibetur:) lib. 4. pag. 49. col. 1. & pag. 140. col. 2.

tarrozius quoque noster, 1 Nic. Antonius, 2 Fr. Greg. de Argaiz, monachus Ord. Bened. antiquitatum Hispaniæ sedulus effictor, cujusque personatis scriptoribus larvam jam detractam a pluribus ingenuarum antiquitatum sedulis investigatoribus experimur, & 3 Did. Dormerus, ut reliquos omittam. Id solum de NUEROS nostro addam, eum communi elogio alterum Scævolam juris peritorum eloquentissimum & eloquentium juris peritissimum vocitari, *libros*que scripsisse *Memorabilium*, inter M.SS. visos Ustarrozio, juridicaque Aragoniæ plurima continentes.

XXII. Plenius ex recentioribus de magistratus illius, ejusque curiæ jurisdictione, reliquisque eo pertinentibus peculiari systemate egit 4 JO. CHRYSOST. (falso Beughemio *Christophorus*) DE VARGAS MACHUCA. Aragonensis ipse est, advocatum primum curiæ egit Cæsaraugustanæ, juris dein ex cathedra codicis professorem, locum tenentem post curiæ justitiæ Aragonici, quo in munere, quod per tot annos reipsa fuit expertus circa syndicatus ejusdem justitiæ Aragoniæ atque ejus locum tenentium sive curiæ judicum formam &

1 In *Bibl. Hisp. nova* tom. 1. pag. 581. col. 1. med.

2 In tomo 7. *de la Soledad laureada*, (qui liber supposititiis auctoribus scatet) in *Theatro ecclesiæ Tarazonensis* lib. 2. fol. 563. col. 1. & 2.

3 In additionibus ad *Progressos de la historia de Aragon* lib. 3. cap. 11. §. 16. pag. 318. col. 2.

4 In *Bibliogr. jur. exotica* pag. 290. fin.

& praxin, quæstionesque in hoc difficili & peculiari hujus gentis negotio quotidie recurrentes explanare voluit, scribens lingua vernacula: *Consideraciones practicas para el syndicado del justicia de Aragon, sus lugartenientes, y otros oficiales*, qui liber editus est Neapoli apud Lud. Cavallum anno 1668. in fol. cum auctor jam, teste [1] Antonio, post gesta quoque extra Aragoniæ regnum in Sardinia civilis curiæ judicis, & Majoricæ advocati fiscalis & patrimonialis munera, dicasterium Neapolitanum S. Claræ clarum nomine pluribus jam annis ex consiliariis unus litteris & probitate morum exornaret. Non possum, quin ei subnectam auctorem huc facientem, quem tamen Antonium omisisse miror. Est is FRANC. SERRA Barnabæ, cujus infra inter Catalanos fiet mentio, ut credo, cognatus, qui pro Jo. Lanuza IV. consilium in eadem, ni fallor, causa, de qua sub Nueros jam dictum, edidit Barcinone apud Cl. Bornat 1560. fol. Ant. Verderio teste in *supplem. biblioth. Gesner.*

XXIII. Post justitiatum memorandum quoque nobis est *Gubernatoris* Aragoniæ munus, utpote juridicorum ex primis unum. De eo peculiari commentatus est volumine superius laudatus IBANDUS DE BARDAXI, præter illa in Foros Aragoniæ commentaria etiam *de officio Gubernatoris* librum edi curavit Cæsar-

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 515. a fin.

saraugustæ anno, ut [1] Antonius, & ex eo [2] Lipenius, asserunt 1582. seu, ut [3] alibi, legimus 1592. in fol. Perutilem quoque civibus suis navavit operam in juridico, in quo nunc occupamur, argumento Jos. de Sesse, Aragonius ipse & justitiæ locum tenens, quod munus, a Philippo II. Rege in illud inaugaratus, duodecim annorum spatio gessit. Patre natus est Laur. matre Hieronyma Pinnol, in urbe Dertusa Cataloniæ; fundamina studiorum jecit Cæsaraugustæ, Ilerdæ juris prudentiæ, ubi & ex auditore in schola aliorum ex cathedra factus doctor, quod idem & Cæsaraugustæ, Ilerdæ juris prudentiæ, ubi & ex auditore in schola aliorum ex cathedra factus doctor; quod idem & Cæsaraugustæ fecit, ex quo locum tenens, ut diximus, tandemque postquam in dicasterio seu audientia regia Cæsaraugustana rerum prius criminalium, post & civilium a Philippo III. creatus consiliarius aliquamdiu sedisset supremi Aragonicarum rerum senatus, qui Madriti in curia regia jus dicunt, patrum (qui summi honoris gradus hac juris prudentiæ scientiarumque via grassantibus non nisi electissimis trium coronæ Aragoniæ regnorum viris patet) numerum auxit. Ab hoc, ut An-

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 472. a. med.
2 In *Biblioth. jurid.* pag. 27. b. med.
3 In catal. librorum Didaci de Arce & Reinoso, generalis per Hispaniam inquisitoris Madriti impresso 1666. in fol. pag. 3. n. 196.

1 Antonii dem verba, emanavit in magnam civium illius regni utilitatem, quotidianam fere materiam, quæ veluti Palladium est & fatalis focus Aragonensis politiæ, absque ullo adhuc doctore tractari ægre admodum ferentium, *Tractatus de inhibitionibus, & exsequutione privilegiata & guarentigia facienda, ac eadem in vim exceptionum seu juris firmæ retardanda: hoc est, de moratorio judicio, ut locus detur iis, qui justitiæ Aragoniæ vice regia judicantis opem implorant*: cui accedit in fine *Consilium de syndicatu*, in quo syndicatus materia exacte excutitur. Barcinone hæc omnia primam aspexere lucem anno 1608. in fol. recusa postmodum in Germania Francof. in officina Paltheniana 1615. in fol. Non possumus quin eleganti & utili huic operi aliud non minoris commodi subjungamus ab eodem auctore editum, *Decisiones* nimirum *sacri senatus regii & curiæ domini justitiæ Aragonum*, quæ duobus prodiere tomis Cæsaraugustæ 1611. & 1615. in fol. itidemque a Germanis recusæ Francof. apud Jo. Bernerum 1619. in fol. Elogium illustris hujus viri præter alios brevibus quoque exhibet 2 Vinc. Blasco de Lanuza, ut Dormerum aliosque omittam.

XXIV. Cum decisionum Aragoniæ supre-

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 624. a. med.
2 In *Historias ecclesiasticas y seglares de Aragon* tom. 2. lib. 5. cap. 46. pr. pag. 559.

premi senatus jam a nobis facta est mentio, & bigam nobilem Sessessio nostro subjungere placet JCtorum, qui idem tractandum sibi sumsere argumentum. Alter eorum est MART. MONTERUS DE CUEVA, Huesca, nobili Aragoniæ municipio oriundus. Absoluto hic in Clementino Hispanorum collegio Bononiensi magno cum successu studiorum suorum cursu, juris in universitate patria primarius professor, locum tenens curiæ justitiæ Aragonum, judex audientiæ seu dicasterii regii, fiscalis anno 1596. & senator tandem in supremo rerum Aragonicarum, qui Madriti est, patrum consessu evasit. Eruditionem, quam in jure civili Rom. sibi adquisiverat, pluribus in illud editis commentariis luculenter est testatus. Patrii autem peritiam juris in primis commonstravit edito sat grandi *Decisionum sacræ regiæ audientiæ causarum civilium regni Aragonum, discursu theorico & practico compactarum* volumine, quod Cæsaraugustæ primam aspexit lucem 1598. in fol. recusumque postea est Marpurgi Cattorum apud Paulum Egenolphum, 1601. in fol. [1] Lipenius equidem alius meminit editionis Francof. anni 1600. in f. sed eamdem cum Marpurgensi illa credimus, seductumque Lipenium forsan aut a Draudio, aut nundinario Francof. librorum catalogo. Meminit & [2] Antonius no-

1 In *Biblioth. jurid.* pag. 27. col. 2. in fin.
2 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 2. pag 86. col.1. med.

noster alterius auctoris nostri operis, quod sub *Propugnaculi pro gymnasio urbis Oscensis* titulo edidit, pro evitando scilicet præjudicio, quod huic scholæ, nova si erigeretur Cæsaraugustæ academia, creabatur, opusque illud ad eos, quorum curæ res est, auctorem direxisse refertur, additque pro Cæsaraugustanis reposuisse Monteri huic aliud Jo. GASPARUM ORTIGAS, Cæsaraugustanum, legum doctorem & in patria professorem, curiæque post regiæ judicem, hujus inscriptionis opus: *Patrocinium pro inclito ac florentissimo Cæsaraugustano gymnasio adversus contradictiones academiæ Oscensis, Propugnaculumque Oscensis scholæ*: Cæsaraugustæ anno 1586. in 4. Conferantur de hoc ORTIGAS [1] Didacus Murillo, [2] Michael Bapt. & [3] Vincentius Blasco de Lanuza.

XXV. Alter non minus celebris decisionum Aragoniæ annotator est FRANC. HIER. DE LEON, Valentinus, ideoque nobis, cum ad patrias ejus leges ventum erit, quas illustran-

1 In lib. *Excelencias de Zaragoza* tract. 2. fol. 448. col. 1.

2 In libro *de la vida de la madre Isabel de Santo Domingo, Carmelita descalza, coadjutora de la Santa madre Teresa de Jesus, fundadora del convento de San Joseph de Zaragoza.* Cæsaraugustæ 1655 in 4. Fuit hic Lanuza ordinis S. Jacobi eques, primo Cæsaraugustæ in patria *Juratus*, ut vocant *in capite*, post secretarius in supremo senatu, & tandem protonotarius regni a Philippo IV. Rege constitutus, obiitque anno 1659.

3 Tomo II. *de las Historias ecclesiasticas y seglares de Aragon* lib. 5. cap. 47. fol. 561. col. 1.

strandas quoque sibi sumsit, prolixius celebrandus. Heic solum locum meretur ejus, quem Valentini senatus *Decisionum* duobus tomis tertii loco adjecit, *Liber diversarum causarum, quæ in supremo Aragoniæ concilio actitatæ sunt*. Valentiæ apud Silvestrem Esparza 1664. in fol.

Quin tertium his addere non veremur Jo. Christoph. de Suelves, Aragonensem patria, ac celebri Cæsaraugustana tum in academia discentium, tum in foro causarum patronum. Circa idem cum prioribus argumentum versantur, quas edidit *Decisiones* typis Cæsaraugustanis annis 1641. & 1642. II. voll. impressas, quas insequutum eodem 1642. anno aliud est opus, *Semicenturia consiliorum* inscriptum ibidemque editum, [1] Antonio teste. Occasione consiliorum juris, quorum jamjam meminimus, alius nobis subvenit memoria non inferioris inter Aragones subsellii J. C. Ludovici puta de Casanate. Francisci civis Turiasonensis (ubi natus noster) filius fuit, *legum*que *scientiam* (ut disertis utamur [2] Antonii verbis) *eo successu perdidicit, alacritate atque præstantia ingenii subnixus, ut post umbratiles scholas in forum veniens, æquumque proferendi se & Hispanis simul omnibus commendandi theatrum sortitus Madritensem curiam, iis etiam minime locum* *ces-*

1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 515. a. med.
2 Ibidem tom. 2. pag. 22. med. b.

*ceſſerit, qui doctius ceteris atque facundius cauſas tuerentur. Quare fiſci rationibus bene conſulturi Aragonenſium rerum ſenatus patres commendavere eum Regi ante alios, quem harum patrocinio præficeret. Darocenſem quoque archidiaconatum Cæſaraugustanæ almæ obtinuit eccleſiæ ab eodem Philippo III. Rege.* Laborum ſuorum fructus publicos aliquot voluminibus *Conſiliorum* & *Reſponſorum juris* porrigere in animo habuit: an autem præmatura mors, an laborum nimius cumulus meditata illa interceperit, ſatis compertum non habemus: id certe ſcimus, nonniſi primum eorum aſpexiſſe lucem Cæſarauguſtæ 1606. in fol. Equidem [1] Lipenius nos, recuſum quoque hoc primum volumen Francofurti 1610. & iterum 1646. in fol. fuiſſe, edocet.

XXVI. Denique & heic jure ſibi poſtulat locum illuſtris meritis vir DON CHRISTOVAL ſeu CHRISTOPHORUS CRESPI DE VALDAURA. Valentiæ ortum debet, lucem ipſo ſæculari M.DC. anno primam aſpexit, eques, claviger & aſſeſſor generalis equeſtris B. Mariæ de Monteſa ordinis fuit: advocatus primum in patria fiſcalis, poſt ſenator ibidem, dein in ſupremo Aragonico Madriti ſenatu regens, tandemque conſiliarius Philippi IV. Regis, & ab eo in Don Matthiæ de Valerio-la

1 In *Biblioth. juridica* tit. *Conſiliorum juris*. Conferatur elogium Caſanatæ noſtri apud Vincentium Blaſcum de Lanuza tom. 2. *Hiſtoriarum Aragoniæ* lib. 5. cap. 45. pag. 558. col. 2. med.

la & Cavanillas locum vicecancellarius regni Aragoniæ constitutus an. 1652. quo in munere *multæ ejus doctrinæ, summæ integritati, altissimæ prudentiæ, atque innocentissimis moribus*, ut [1] Antonius loquitur, *debito*, diu, & an. adhuc LXXII. sæculi jam præterlapsi floruit, quippe cujus die II. Febr. e vivis excessit, unus tunc ex regni gubernatoribus, Caroliqne II. p. m. Regis minorennis tutoribus. Summis illustrem hunc Themidos patriæ antistitem laudibus exornant in primis doctor Don Frey Hippolytus de Samper, canonum in universitate Valentina professor, ac regii collegii ibidem rector, ut & prior ecclesiæ S. Georgii in erudito, quod [2] *de ordine Montesiano* edi curavit opere; Did. Jos. Dormerus in additionibus suis ad [3] Ustarrozium, [4] Nicolausque noster Antonius, qui conferri merentur.

XXVII. Restat nunc, ut Fori Aragonici præcipuos quoque paucis verbis enumeremus daduchos. Sat nota practicis est Petri

M Mo-

1 In *Bibl. Hisp. nova* tom. 1. *lit. C.* pag. 186. col. 1.

2 *Hoc titulo*: Montesa ilustrada: origen, fundacion, principios, institutos, casos, progressos, jurisdiccion, derechos, privilegios, preeminencias, dignidades, oficios, beneficios, y heroes y varones ilustres de la Religion militar de nuestra Señora Maria de Montesa, y S. George de Alfama. Valentiæ apud Hier. Vilagrasa 1669. in fol. II. voll. tom. 1. parte I. n. 427. & tom. II. parte 3. n. 400. 703. 734. 930. 962. & parte 4. n. 403.

3 Loco jam sup. cit. nempe lib. 3. cap. 9. §. 4. p. 300. col. 2.

4 Loco jam not. 1. citato.

Molinos Aragonii *Practica judiciaria del reyno de Aragon*, quæ Cæsaraugustæ prodiit anno 1575. in 4. Antonio teste, sed Lipenius eam in fol. asserit editam. Quod opus haud inutiliter illorum teritur manibus, licet ob vetustatem, frequentesque in praxi vices multa in eo desiderentur. Ante Molinos adhuc tempora floruit Mich. Ferrer, Cæsaraugustanus, curiæ Barcinonensis senator, qui *Methodum sive ordinem procedendi judiciarium secundum Foros Aragoniæ* Cæsaraugustæ imprimi curavit anno 1554. in 4. ejusque adhuc inferius, cum ad Catalanorum decisiones juridicas erit ventum, iterato fiet mentio.

XXVIII. In primis autem de Foro Aragonico bene meritus est ob egregia, quibus ejus praxin illustravit, scripta Petrus Hier. Cenedo, Cæsaraugustanus, *juris canonici*, [1] Antonio teste, *consultissimus, Poëtaque venæ non vulgaris;* canonici & prioris seu præfecti ecclesiæ S. Mariæ *del Pilar* Cæsaraugustanæ munus, dum vixit, obiit, præstanti vir judicio ac doctrina, ut testantur, quas juxta cum aliis ingenii monumentis ineditas reliquerat, *Practicæ quæstiones canonicæ & civiles*; postumum tamen hunc fetum luci exposuit publicæ Hieronymus Cenedo, auctoris frater, ordinis Prædicatorum sodalis, eidem ex schedis nostri manuscriptis adjiciens *Centuriam singularium juris, hoc est, pro-*

1 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 2. pag. 160. fin.

*propriam interpretationem quamplurium præpositionum, adverbiorum & dictionum juris*, in qua dictiones aliquas HIERONYMUS ipse ex propria penu addidit. Prodiit integrum hoc opus Cæsaraugustæ Jo. de Lanaja typis anno 1614. in fol. Scripsit quoque auctor noster deductionem quamdam juridicam pro syndici ecclesiæ suæ sede in comitiis propre metropolitanum Cæsaraugustæ: quod opus supra, ubi de comitiis egimus, eoque pertinentes recensuimus scriptores, referendum est, tituloque gaudet tali: *Alegacion sobre el derecho de assentarse y votar en cortes el syndico de la iglesia de N. Señora del Pilar immediatamente despues del de la metropolitana de Zaragoza.* Ibidem 1605. in fol.

XXIX. Adhuc restat, quem silentio præterire nefas duco, nobis memorandus ob argumentum comitiorum regni Aragoniæ, quod peculiari illustravit opere, FR. GASPAR PRIETO, Burgensis, Mercenariorum sodalis, Algerensis primum in Sardinia, post Elnensis in Catalonia episcopus, ac ordinis sui generalis præfectus, vir pietatis & largitionum in pauperes laude apud suos clarus; quin & Sardiniam aliquando pro Rege gubernavit. Hic enim *Allegationes duas in materia celebrationis comitiorum regni Aragoniæ, quæ* Cortes generales *audiunt*, [1] pro Philippo Rege IV.

 in

1 Nic. Ant. *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 1. pag. 406. b. med.

in fol. edi curavit. Sed nec id reticendum puto, *Cancellarii* regni Aragoniæ munus peculiari tractandum sibi sumsisse libello D. Did. Ant. Frances de Urrutigoiti. Cæsaraugustæ is ortum debet urbi, Salmanticæ juris scientiam hausit, doctorque creatus est. In patriam dein reversus, trium fratrum exemplo ad dignitates ecclesiasticas pontificiumque properavit culmen, creatus quippe primum decanus & canonicus Turiasonensis, post Darocensis archipresbyter in Cæsaraugustana metropoli, ut & regii nosocomii gubernator, cancellarius, *competentiarum*que, ut vocat, judex, tandemque Balbastrensis episcopus, die XIV. Febr. 1656. constitutus. Illustris ergo dignitate hic vir etiam meritis in Remp. illustriorem se reddidit, inter alia, quæ fori theologici, canonicique juris sunt, scripta, tractatum edendo *de competentiis jurisdictionis inter curiam ecclesiasticam & sæcularem, & de officio cancellarii regnorum coronæ Aragonicæ*, qui liber prodiit typis Lugd. sumtibus Phil. Borde & sociorum anno 1667. in fol. 1 Antonio teste.

XXX. Ultimo demum loco perquam commode hic recensere possemus Petri de Belluga Valentini *Speculum principum*, quippe quo Aragoniæ in primis juridica & politica pertractantur negotia. Verum cum curiosior omnino Belluga noster circa foros ac privilegia

1 Ibid. pag. 205. 2. med.

gia patriæ, puta Valentini regni, quam univerſa coronæ Aragonicæ jura & dignitatem tuendam fuerit, & merito ei inter cives ſuos locus erit, &, cum ad Valentini regni juriſconſultos deventum erit, prolixius de eo diſſeremus. Reliquos & minoris pretii auctores, qui ſparſim in ſuis operibus de juridicis ac politicis Aragoniæ rebus fuere commentati, conſulto hic omittimus, ne leges libelli modeſtiæque tranſgredi videamur. Coronidem ergo noſtræ de Aragonicis legibus diſſertationi imponat Jos. de Pozuelo, Aragonius ipſe, qui & munus tabellionum, qui juridicis patriæ conventibus ſuam operam præſtant, examinandum peculiari ſibi libello propoſuit, cui titulum hunc præfixit: *De inſtitutione tabellionum ſecundum Foros Aragoniæ*, eumque typis promulgari curavit Cæſarauguſtanis anno 1589. in 4. Sed hæc ſufficiant de Aragonibus.

# SECTIO IX.

## DE CATALANORUM

### LEGIBUS.

I. AD Cataloniæ ergo progredimur principatum, illuſtrem ſatis coronæ Aragonicæ unionem, quibuſque ille a Gothorum inde tempore in hunc uſque diem gaviſus legibus fuerit, accuratius paulo indagabimus.

Steterat & hic legibus Gothorum suus honos, usque dum celeberrimus ille, rebusque præclare gestis immortalem meritus gloriam, Barcinonensium comes, XI. ordine RAMON BERENGER, seu Ramirius Berengarius senior, vulgo *el viejo* dictus, cum uxore sua Almoide illas protenus Aragonum ad exemplar antiquaret, & USATICOS sive jus municipale, quo hodienum utuntur ejus principatus cives & subjecti, stabiliret. Ut originem & historiam rei gestæ ordine exponamus, primario Francisci Diago, ordinis Prædic. monachi, & primarii professoris theologiæ Barcinonensis, qui omnium optime exactissimeque veterum Barcinonensium comitum facta & res gestas peculiari [1] opere congessit, insistemus vestigiis, reliquorum post auctorum suffragia ordine subjuncturi.

II. Sic autem ille: [2] Orborto post Nicolai II. Pontificis Romani mortem schismate, electoque, tum Cadolo Parmensi antipapa suffragiis episcoporum Longobardiæ, Alexandro autem II. in concilio Mantuano rite electo, (anno 1065. id evenit) hic legatum seu *nuntium*, ut vocant, in Hispaniam misit Hugonem Candidum, cardinalem S. Clementis jam sub Leone IX. creatum. Hic ergo Aragoniam ingressus concilium, instantibus Ra-

1 *Historia de los victoriosissimos condes antiguos de Barcelona*, impressa typis Sebast. de Cormellas 1603. in f.
2 Lib. 2. cap. 57. toto fol. 161. seq.

Ranimiri I. Regis precibus, celebravit Jaccensi in urbe, in eoque abrogatis officio veteri, missalique & breviario Gothicis, quæ eousque viguerant, Romanisque receptis ritibus, Romam repetiturus Cataloniam peragrabat. Exceptus illic a Ramone seu Ranimiro nostro Berengario, ubi res in Aragonia a se gestas eidem enarraverat, Almoida comitissa, quæ ex Galliæ regno ortum ducebat, assueta officio Romano, Gothicique pertæsa, precibus persuasionibusque crebris comitem impulit, ut Aragonum ad exemplar, Gothicos quoque ritus valere juberet, Romanosque in illorum subrogaret locum. Celebratur mox concilium solemni ritu coactum Barcinone, ac unanimi patrum illius consensu Gothica Romanis sacra permutantur, in primisque cautum tunc est, ne clericis uxoratos esse, ut a Vitizæ inde Gothorum Regis temporibus mos viguerat, amplius liceret.

III. Post sacras illas noviter latas leges ac constitutiones, etiam de legum Gothicarum actum est abrogatione. Antequam ergo concilium discederet, comitia seu *Cortes* fuere indicta Barcinone habenda. Proposita in illis res a comite applausu omnium excepta est, statimque electi XXI. viri e primoribus, qui novum legum systema, selectis ex Gothorum Romanorumque legibus, quæ meliores videbantur, conderent. Operæ pretium esse puto, XXI. illorum sapientum nomina, prout in antiquo Usaticorum volumine (cum *Commenta-*

*tariis* Jacobi de Montejudaico impreſſo Barcinone anno 1544. in fol.) exſtant, hic apponere. Fuerunt nempe:

*Ponce vizconde de Girona*, ſeu vicecomes Gerundæ.

*Ramon vizconde de Cardona.*

*Udalardo ſeu Hidalardo vizconde de Bas*, quem alii,[1] ſed minus recte, vicecomitem Barcinonis putant, a quo omnino, licet ὁμώνυμος noſter, longiſſime abeſt.

*Gondebaldo de Beſora*, ſeu *Gombal*, ut alii.

*Miron Guilaberto.*

*Aleman du Cervellon*, ſeu *Guerao Aleman*,[2] ut alii.

*Berenguer Amat de Claramunt*, ſeu *Bernaldo Amat de Claramonte*, ut Zuritæ audit.

*Raimundo de Moncada.*

*Amat Iñigo*, a Zurita omiſſus.

*Guillermo Bernardo de Queralt.*

*Arnaldo Myr*, ſeu *Miron de Toſt*, caſtri Agerenſis expugnator.

*Hugo Dalmas*, ſeu *Dalmacio de Cervera.*

*Ar-*

1 Zurita *Annales de Aragon* lib. 1. cap. 16. fol. 20. col. 4.

2 Steph. de Corbera in lib. *Vida y hechos maravilloſos de doña Maria de Cervellon, llamada Maria de Socós, profeſſa de la orden de N. S. de la Merced, con algunas antiguedades de Cataluña. Barcelona* apud Petrum de la Cavalleria 1629. fol. cap. 12. pag. 30. col. 1.

*Arnaldo Miron*, seu *Arnalt Myr de Sant Martin.*
*Guillermo Dapifer*,
* *Jofre Baston.*
*Renardo Guillen.*
*Guilaberto Guitardo.*
*Umberto de Sesagudes.*
*Guillermo Martin.*
*Bonfill Martin.*
*Guillermo Borrel*, judex.

IV. Illi ergo tantum perfecere opus, *Usaticos*que seu *Usatges*, quo nomine leges Catalanorum veniunt, condidere, idque anno 1068. factum fuisse pluribus argumentis Diago noster integro capite evincit. Nimis prolixa res est, reliqua, quæ in iisdem comitiis fuisse acta testantur rerum illius gentis scriptores, recensere, in primis cum longius a scopo, quo tendimus, aberrent. Non possum tamen, quin nudam faciam mentionem divisionis Cataloniæ in IX. *episcopatus* (septem hodienum supersunt) totidem *comitatus*, *vicecomitatus*, *baronias*, *nobilitates* & *valvassorias* totidem, quam eodem tempore factam a Ranimiro Berengario comite unanimi ore asserunt historici patrii, quamquam exiguam hæc omnia fidem apud me inveniant. Sed, ut auctores, qui hæc supsu-

* Hos septem postremos protenus omisit Zurita, sed Diago eos recensuit omnes.

peditant, enumerem brevibus, consuli hoc super argumento possunt in primis jam laudatus [1] Franciscus Diago, Petrus Tomich, magnæ apud suos laudis ob investigationes patriarum antiquitatum sedulas & eruditas, qui tamen, quod divisionem illam Cataloniæ in Kalendas Nòv. anni 791. & Caroli M. tempora rejicit, a Diago nostro refutatur; Michael Carbonell haud minori elogio dignus in *Chronica* patrio sermone prisco Catalano scripta, magnus Zurita tum in *Annalium*, tum in [2] *Indicum Latinorum* opere, ubi in Aeram 1078. seu annum Christi 1040. hæc facta rejicit. Sed operæ pretium ipsiusmet audire verba. *Hugo S. R. E. nuntius apostolicus in Hispanias legatus, Barcinone provinciale munus rerum sacrarum administrat, eoque assidente Raimundus Barcinonensis, proceresque Cataloniæ ex Gothicis legibus, quibus fora & judicia in terra Catalonia indici & constitui superioribus sæculis consueverant, & in Castellæ & Legionis ditionibus Reges jura statuebant, quas Ferdinandus Rex Ranimiri frater confirmaverat in sua ditione, aliquas tollunt, & exceptionibus leniores efficiunt, novasque condunt, easque, quod usu quotidiano, communique consuetudine, quæ vim legis obtinet, collocaren-*

1 *Historia de los antiguos condes de Barcelona* cap. 58. & 59. lib. 2. pag. 120. seq.

2 Lib. 1. ad ann. 1040. pag. 25. med.

*rentur ac sancirentur*, USATICA *appellavere*. Idem Zurita illic perstringit Tomichii de Augerio Catalane, seu Otger Catalan, & novem proceribus tempore Caroli M. inque novem tunc variarum dignitatum classes distributione Cataloniæ commentum, & reliquis, qui ejus rei gloriam Berengario nostro attribuunt, calculum adjicit.

V. Iisdem & adjici merentur, Petrus Ant. Beuterus, gravis universæ æque Hispaniæ ac patriæ [1] Valentiæ historicus, Stephanus quoque de Corbera tum in vita [2] D. Mariæ de Cervellon, tum in egregio opere [3] *Cataluña ilustrada* inscripto, & post auctoris obitum edita Neapoli per Jos. Gomez de Porres proregis ibidem sacellanum typis Ant. Gramin anno 1678. in fol. ubi vocabulum *Usatges* a Gallico *Usages* haud inepte deducit. Sed digne præ reliquis & ex professo argumentum hoc tractavit [4] Fr. Andreas Bosch, in cujus laudes inferius licebit evagari, Fr. Gabr. Augustinus Rius Barcinonensis, lector magistralis, ut vocant, ecclesiæ metropolitanæ Tarraconensis, professor theologiæ in eadem academia, ac visitator provincialis ordinis Eremitici regulæ S. Augustini in regnis coronæ Aragonicæ in libro

1 *Historia de España*, lib. 2. cap. 15.
2 Cap. 12. pag. 30.
3 Lib. 1. cap. 16. pag. 74.
4 In libro: *Sumari index dels titols de honor de Cataluña*, lib. 3. cap. 13. integro.

bro, quem motuum Gallicorum ergo ſcripſit, & hoc titulo: [1] *Eſpejo de Cataluña, criſtal de la verdad*, edi curavit Cæſarauguſtæ apud Petrum de Lanaja & Lamarca 1646. in 4. ut reliquos univerſalis hiſtoriæ conditores, Garibajum, Marianam, alioſque, quos ſingulatim hic recenſere ſupervacaneum ducimus, taceamus.

VI. Huic *Uſaticorum* ſyſtemati ſenſim dein acceſſere *Conſtitutiones & Acta comitiorum*, *Pragmaticæ*que *ſanctiones*, quæ omnes habentur in corpore juris municipalis, quod pluribus voluminibus continetur, continetque ſecundum illorum in X. digeſtum libros ſolas fere pragmaticas comitum Barcinonenſium extra comitia ſparſim latas; tertius vero & reliqui, quorum certus non eſt numerus, *Acta*, ut diximus *comitiorum*, ſequenti tempore lata complectuntur. Id enim notatu eſt digniſſimum, nullam univerſæ Hiſpaniæ eſſe regionem, quæ tantis gaudeat libertatibus, ac Cataloniam noſtram. Ipſe enim Raymundus Berengarius Uſaticorum conditor blande ſuos admonet ſubjectos in *Uſatica* judicia curiæ his verbis: *Judicia curiæ & Uſatici gratis debent eſſe accepta & ſecuti, quia non ſunt miſſi niſi propter ſeveritatem legis* (Gothicas eo innuit leges.) Sed ulterius progreſſi ejus fuere ſucceſſores, dum

1. §. 24. toto pag. 100. ſeqq. & §. 35. num. 5. ſeq. pag. 168. ſeqq.

dum libera, quæ jure majestatis ac dominii supremi ipsis competebat solis, leges ferendi potestate sponte se abdicarunt, illamque in comitia statuum principatus rejecerunt. Factum id a Rege Petro Aragonum III. Catalanorum II. in Barcinonensibus Decembri mense anno 1283. celebratis comitiis, prout id edocemur a [1] Zurita, [2] Th. Mieres, [3] Marquilles, [4] Gabr. Aug. Rius, [5] Steph. Corbera, reliquisque jam superius citatis. Illic enim expresse Rex hic sanxit, prout in [6] *Constitutionibus Catalanicis* habetur, quod ipse & successores sui intra Cataloniæ fines comitia celebrare in posterum tenebuntur, in iisque consilio & consensu prælatorum seu cleri, baronum, nobilium, civitatumque & universitatum, de regiminis statu legumque ordinatione tractare debebunt. Quin & eo usque illud extendit, quod nec comitia ipsa convocare possit, nisi ex causarum prægnantium concursu; factum hinc, annotante [7] Thoma Mieres, ut soluta fuerint comitia Dertusana a Maria Regina indicta, cum non nisi metus belli Gallici caussa coactionis eorum esset.

VII.

1 *Annales de Aragon*, tomo 1. lib. 4. cap. 40. fol. 167. col. 3.
2 *Collatione* II. *in curiam Barcinonensem* cap. 17.
3 In Usaticum: *Cum dominus*. fol. 20. col. 4.
4 *Espejo de Cataluña*, §. 35. & 36. pag. 170. seqq.
5 *Cataluña illustrada*, lib. 1. cap. 16. pag. 75. princ.
6 Volum. 1. lib. 1. tit. 13. Constitut. 1.
7 *Collat.* II. *in curiis Barcin.* Petri 2. c. 26. n. 4.

VII. Commode, cum hic comitiorum, eorumque solemnis per Petrum II. Regem fundationis facta mentio, de eorum statu hodierno, modoque celebrandi edisserendi nobis quædam sese offert occasio. Ante Petri II. tempora, [1] Ant. Oliba teste non erant distincta *Brachia* (ita enim vocant tres principatus status) universitatis Cataloniæ, ut in præsenti, ubi comitiorum senatus tribus constat brachiis, ecclesiastico nempe, militari & regio. Ecclesiasticum constat archiepiscopo Tarraconensi, & octo episcopis, Barcinonensi, Ilerdensi (seu *de Lerida*), Dertusano (sive *de Tortosa*), Gerundensi (*de Girona*), Vicensi (*de Vicque*), Urgellensi, Elnensi, nunc Perpinianensi, & Solsosonensi; abbatibus item, & capitulis cathedralium ecclesiarum, priori ordinis S. Joannis per Cataloniam, prioribus capitulorum; & commendatariis ord. equestris S. Joannis. Militare brachium seu status complectitur duces, marchiones, comites, vicecomites, & barones, nobiles ac equites, qui vasallos in Catalonia possident. Brachium autem regium continet omnes universitates seu civitates & municipia Regi aut principi immediate subjecta, quæ in persona syndicorum in comitiis comparent, ut hæc omnia fuse deducunt [2] Lud. Peguera, [3] Jos. Ca-

li-

1 In Usatic. *Alium namque* de jure fisci c. 1. n. 15.
2 In *Practica* sua *celebrandi curiam*, cap. 5.
3 In extravagant. *Curiar.* cap. 6. cui adde Marquilles in Vsat. *Cum dominus*, fol. 20. col. 4.

licius, 1 Ant. Oliba; 2 Guil. a Vallesicca, 3 Andr. Bosch, 4 Jos. Pellicer, aliique innumeri. Sed & illud addi meretur, cuique illorum brachiorum suum asservari archivum, id quod auctor 5 *de la proclamacion catholica* quidem jam a Ludovico Pio Imperatore, cum Barcinonensibus seu Catalanis jura & libertates suas sanctione pragmatica corroboraret, fuisse instituturum asserere conatur, sed ob id merito vapulat 6 Gabrieli Aug. Ruis in *Espejo* suo *de Cataluña*, qui consulendus omnino super eo est, & expresse Ferdinando II. seu Catholico id deberi, qui in comitiis Montisonensibus anno 1510. expressa sanctione, cujus principium: *Estatuimos y ordenamos*, id ordinavit, affirmat. Confer 7 constitutiones Catalanicas ipsas.

VIII.

1 In dictum Vsaticum *Alium namque.*
2 In Usaticum *Judicium in curia datum.*
3 In *Titols de honor de Cataluny a.*, lib. 5. cap. 10.
4 In *Idea del principado de Cataluña*, inferius recesenda, passim.
5 Liber hic ad Regem a senatu Barcinonensi in motibus illis anni 1640. apologetici loco scriptus, & a Rius aliisque refutatus fuit: prodiit vero hoc tit. *Proclamacion cathólica a la magestad piadosa de Philippe el Grande, por los consellers y consejo de ciento de la Ciudad de Barcelona*, anno 1640. in 4. 260. pagg. pag. 197. §. 24.
6 In §. 36. num. 3. 4. 5. pag. 472. seq.
7 Volumine 1. tit. 13. Constitut. 13. ubi dicitur, acta brachii ecclesiastici asservanda esse in archivo metropolitanæ Tarraconensis, militaris in deputationis generalis, & regii in archivo civitatis Barcinonensis.

VIII. Plura hic de forma modoque comitiorum hujus principatus in medium afferre, latiusque evagari nos prohibet & nimius a scopo, quo collimamus, recessus, & copia auctorum, qui penitius hæc jamdudum rimati fuere, & ad nauseam usque in suis operibus recoquunt. In orbitam ergo ut revertar, telamque, quam texere coepi, *Usaticorum* absolvam, notandum est, post Raimundi Berengarii tempora sub Regibus Aragoniæ admodum adauctum legum seu *Usaticorum* fuisse corpus, in primis sub Jaimo I. Rege, de quo 1 animadversum est, ipsum sub initium anni 1240. ad comitia prælatos, barones, nobiles & universitates, seu urbium oppidorumque syndicos convocasse Barcinonem, in illisque permultas ac salutares sanxisse & condidisse leges ac statuta. Tantæ etiam sanctimoniæ religionisque & Regibus & subjectis sunt illæ leges, ut quod singulare ac notatu dignum est, Bern. Ascolt seu de Sclot (auctor σύγχρονος & historicus illorum temporum a Sebast. Gormellas 1616. in 4. hoc editus titulo: *Historia de Cataluña, de las empresas hechas en su tiempo* (de Sclot) *por los Reyes de Aragon hasta la muerte de D. Pedro el Grande*) affirmet de Petro III. cognomento Magno, Aragonum Rege, ei, cum plures inter constitutiones legesque Catalano-

rum

1 Zurita *Annales de Aragon* lib. 3. cap. 36. fol. 155. col. 4.

rum haberi cerneret minus proficuas utilesque subjectis, easdemque vel abrogare vel emendare conaretur, universam sese opposuisse, armataque manu Regem se aggressuram comminatam fuisse Cataloniam, in tantum ut & incoepto tunc (quod circa A. C. 1277. evenerat) desistere cogeretur. Testantur tamen [1] Zurita æque ac [2] Corbera, quibus hæc debemus, eumdem Regem postmodum in comitiis Barcinone anno 1284. celebratis, quæque a medio Decembris ejus anni inde ad medium usque Januarii anni sequentis duravere, Catalanis omnes & singulas leges ac constitutiones, prout a prædecessoribus suis latæ sancitæque erant, confirmasse, novasque iisdem aggregasse utiles, ac privilegia gratiasque eximias, quas Catalanorum in Regem studium meruerat, eis irrogasse.

IX. Singulatim & auctoritas *Fororum* legumque Cataloniæ ex eo apparet, quod, ut omnes Catalani JCti loquuntur, Reges seu principes eas ex pacto cum subjectis inivere, ipsisque eas transgredi omnino nefas esse ducatur, vocarique ob id *leyes pactadas*; quin & idcirco eis homagium fidesque solemni ritu a Catalanis ante non præstatur, quam consueta formula eas sancte observatum custoditumque, nec umquam violatum iri juramento caverint.

N

1 Idem *Annales* lib. 4. cap. 5. in fol 231. col. 3.
2 *Cataluña illustrada* lib. 1. cap. 16. fol. 75. princ. & alii, cet.

rint. Quod jusjurandum cum Petrus IV. Rex præstare recusaret, & Catalani subjectionem ei obedientiamque denegarunt, nec ante eum agnoscere Regem voluere, quam privilegia legesque, ut ajunt, *jurasset*, [1] Zurita teste. Quin & jusjurandum illud quandoque iterato sæpiusque a principe aut Rege exigitur. Exemplum ex [2] Zurita nobis sistit [3] Corbera de Ferdinando I. Rege, qui tribus distinctis vicibus jurare necesse habuit, primo, cum Leridam intraret urbem, dein Barcinone in æde cathedrali, tandemque in comitiis, antequam subjecti fidem ipsi solemnibus verbis astringerent. Cum & novæ sanciendæ sunt leges, ab universitate, seu magistratibus brachia vel status repræsentantibus illæ in comitiis proponuntur, Regique seu principi ad confirmandum traduntur, prout a sæpius jam citatis auctoribus edocemur.

X. Sed satis jam de his: reliquum est, ut hodiernam *Usaticorum Constitutionum*que faciem intueamur. Monitum jam supra fuit §. 6. duo esse volumina *Constitutionum*, quorum primo *Usatici* Raimundi Berengarii, altero comitum Regumque posteriorum temporum sanctiones, sparsis vicibus extra comitia latæ, continentur; nunc id addimus, tertium etiam haberi illarum constitutionum volumen,

1 *Annales de Aragon* lib. 7. c. 28. f. 116. col. 4. seq.
2 Parte 3. lib. 12. cap. 9. fol. 81. col. 1.
3 *Cataluña illustrada* lib. 1. cap. 16. fol. 76. princ.

men, in quo autem, teste auctore [1] *de la noticia univerſal de Cataluña* ſolum ſuperfluæ, antiquatæque & correctæ leges, quæ omni robore ac vigore deſtituuntur, ſunt contentæ. Reſtat ergo ſolum annotare codices manuſcriptos æque ac typis impreſſos illarum conſtitutionum, ad earumque dein progredi gloſſatores ac commentatores, quorum haud exiguus certe eſt numerus. Primum autem impreſſa typis *Uſaticorum* recenſere placet exemplaria. Prodiere nempe illi, [2] Ant. Verderio teſte, diverſis temporibus editi Barcinone in fol. II. tomis; quin ipſe aliquando me vidiſſe memini eaſdem ſermone Catalanorum vernaculo impreſſas Barcinone anno, ſi recte memini, 1588. in fol.

XI. Manuſcriptos quod attinet, primo nominari meretur loco, quem Lutetiæ Paris. olim indultu nobiliſſimi domini Clementis, regiæ bibliothecæ cuſtodis, vidiſſe me recordor in fol. litteris ſat antiquis deſcriptum, quique in catalogo M. SS. habetur, ni fallor, numero 10004. Sed integrum placet eorum hic exponere theſaurum, qui in illuſtriſſimi & immortalis memoriæ viri, Ant. Auguſtini, Tarraconenſium archiepiſcopi curioſiſſima bibliotheca olim reconditus fuerat,



1 Qui litteris initialibus nomen ſuum conſignavit (ita : B. D. A. V. Y. M. F. D. N. P. D. N. liber autem contra Hiſpanos in motibus illis Gallicis in Catalonia anno 1640. ſcriptus eſt in 4. pagg. 216.) cap. 7. pag. 46. med.

2 In *Supplemento bibliothecæ Geſnerianæ* lit. *C.*

prouti ex catalogo ejusdem, libro rari pretii, depromere eumdem licuit. Num. 408. inter M. SS. Latina inibi exstat *Codex Usaticorum Raimundi Berengarii, Barcinonis comitis, cum glossis auctcris incerti*, quarum, quæ prima est, incipit: *Homicidium. Si quis requisierit seniorem*, cet.

*Constitutiones pacis & treguæ.*

*Aliæ variæ constitutiones Regum in diversis curiis editæ.*

*Consuetudines feudales inter dominos & vasallos.*

*Quomodo fiat batalla.*

*Constitutiones & privilegia civium Barcinonensium, cum Jacobi Calveti & Guilielmi de Vallesicca apostillis. Liber est in membranis annorum CC.* (tunc, cum catalogus prodiret, id quod factum anno 1587.) in fol.

Num. 402. Habentur inter alia *Aragoniæ Regum & comitum Barcinonis clausulæ institutionum & substitutionum*, in libro chartaceo annorum tunc C. in fol.

Num. 409. *Usatici & consuetudines Cataloniæ, itemque statuta antiqua perpetua*, ut dicunt, sermone patrio, in libro chartaceo annorum CC. in 4.

Num. 410. *Usaticum* Simili modo: An princeps possit dare treguas inter inimicos, *expositum, cum sententia lata a quibusdam judicibus inter Jacobum Regem, & nobilem Raimundum vicecomitem Cardo-*

*næ,*

*næ*, *anno* 1252. *sermone patrio.*

*Petri Regis super usatico* Auctoritate & rogatu: *litteræ patrio sermone.*

*Variæ constitutiones & pragmaticæ.*

*Capita de hominibus propriis de remensa, & de bonis eorumdem cedentibus.*

*Usantiæ & consuetudines civitatis & diœcesis Gerundensis, a libris peritorum, & usibus observatæ utentium, ac in unum sub certis titulis collectæ a* Thoma Mieres, J.C. inferius laudando, *anno* 1439.

Narcissi *compendium* inferius allegandum.

*Reginæ Mariæ constitutiones Barcinone conditæ in curiis generalibus.*

Quæ omnia continentur libro in charta annorum CL. in forma fol.

XII. Porro in iisdem M. SS. num. 411. habentur: *Constitutiones diversæ Regum, in quibus privilegium populationis civitatis Barcinonis datum a comite Berengario Raimundi filio & comitissæ Sanctionis comitis filiæ, Aera M. LXIII. Regis Roberti anno XXIX.*

*Usatici cum glossis sine nomine auctoris.*

Jacobi de Monte Judaico *lectura* infra recensenda.

Ildefonsi seu Alfonsi *Regis de pace & tregua constitutio, quæ incipit* Humanarum, cet. *cum glossis, quarum initium* Ecclesias: *Ecclesiæ a laicis incastellari non debent*, cet.

Præter has glossas aliæ quoque exstant illic additiones.

 Va-

*Variæ* item *constitutiones in diversis curiis latæ cum postillis.*

*De batalla judicata.*

*Petri archiepiscopi Tarraconensis constitutiones provinciales , & aliorum archiepiscoporum.*

*Gerundensis episcopatus constitutiones synodales quædam , & de sacramento Judæorum.*

*Variæ constitutiones in diversis curiis latæ ac editæ.*

*Interpretatio super constitutione Regis Petri* , Princeps namque , cet.

Hæc omnia continentur libro in membranis annorum CC. forma fol.

Num. 412. *Constitutionum iterum Cataloniæ diversorum Regum* volumen , in libro in charta annorum CL. fol.

Num. 413. *Petri Regis III. in generali curia Perpiniani constitutiones , & Jacobi II. in curia Gerundæ.*

*De batalla judicata : item varia notabilia circa contractus in primis.*

*Usatici a comite Barcinonensi constituti , & variæ constitutiones Cataloniæ , & quædam privilegia civium Barcinonensium,* in libro in charta annorum CC. folio.

Num. 414. *Capita curiarum anni* 1461. *vernaculo sermone capita concordiæ initæ inter homines rusticos de remensa & eorum dominos anno* 1462. itidem sermone patrio. Cum aliis quibusdam auctoribus , qui in

*De-*

*Decreta* commentati fuere, & in hoc volumine chartaceo annorum C. in fol. habentur.

XIII. Et hæc sunt M. SS. *Usaticorum*, quæ nobis hucusque indagere licuit, non equidem nescimus, nos quoque plura olim tum ipsosmet vidisse, tum citata in libris offendisse, sed eadem omnia hic recensere prolixum nimis, lubricæque interdum fidei, qua niti nos oporteret, esset: quare consulto illa omittimus & ad glossas commentariosque progredimur. Primum merito suo damus locum illustri nostro VITALI DE CANELLAS, cujus laudem apud Aragones commeritam jam superius publicavimus, & inferius adhuc apud Valentinos rursus decantabimus. Apud omnes enim coronæ Aragoniæ partes illustrem se Tribonianum stitit, Catalanis equidem, si Didaco Morlanes J.C. & [1] Ustarrozio fides, leges quasdam seu legum tabulas (*foros* dicunt) jussu auspiciisque Jaimi seu Jacobi I. Aragoniæ Regis præscripsisse fertur. Vidisse se easdem vernaculo Catalanorum sermone exaratas in schedis M. SS. idem Ustarrozius asserit, ex quo & eadem repetit [2] Antonius noster.

XIV. Præcipuum post Canellam locum ob varia, quæ super *Usaticos* meditatus est,

 com-

1 In *Notitia* M. SS. quibus usus in notis ad *Coronationes Regum Aragoniæ* ab Hieron. Blanca editas, lit. V.

2 In *Biblioth. Hispana vet.* lib. 12. cap. 3. §. 78. pag. 43. col. 1. fin.

commentaria & glossas, sibi vindicat JAC. CALICIUS aut de CALICIO, seu, ut [1] Marquilles mox laudandus eum vocat, de CALIS. Oriundus is fuit ex Vicensi Cataloniæ urbe, hodie *Vique* dicta, equestris dignitatis vir, juris consultorumque sui ævi gentisque facile princeps, Martino, Ferdinando I. Alfonso V. Regibus carus, posteriorisque hujus consiliarius, & fisci patronus, circa an. 1420. constitutus; optime variis ingenii monumentis de patrio jure meritus est. Scripsit etenim *Commentaria in Usaticos* urbis Barcinonensis, quæ anno circiter 1401. conscripta a se auctor ipse in *Margarita fisci* inferius citanda innuit, ac una cum aliis Jacobi a Montejudaico seu de *Monjui*, Jacobique & Guil. de Vallesicca prodiere typis Barcinonensibus edita anno 1544. in fol. Item sequentia ejus M. SS. habentur in Biblioth. Cl. Ant. Augustini, num. videlicet 424. *Commentaria in Usaticos Barcinonenses*, *& tractatus de prærogativa militari, ac de moneta*, junctim in libro chartaceo annorum C. & ultra in fol. num. 423. *Ejusdem liber*, *qui dicitur Heres solidus*, & quædam alia de *jurisdictionibus*: num 421. ejus *Tractatus de moneta*, *Extravagatorium curiarum*, [quod scripsit post curias generales per Alfonsum Regem celebratas anno 1419. in monasterio S. Cucuphatis de Valles, agitque de celebratione curiarum seu comi-

1 In præfatione *Mannæ* suæ *super Usaticis*.

mitiorum hujus principatus, ideoque *Curiale* seu *Extravagatorium* diserte audit [1] Thomæ Mieres mox laudando. Editum hoc opus quoque separatim fuit Barcinone per Jo. Gordiolam anno 1556. in fol. [2] Ant. Verderio [3] Antonioque testibus, & *Tractatus de prærogativa militari* junctim in volumine chartaceo C. & ultra annorum in fol. num. 425. CALICII *Processus soni emissi tractatus una cum titulis libri multarum constitutionum Usaticorum Barcinonensium exemplari, constitutionibus Alfonsi I. Regis de pace & tregua, Jacobique I. de sacramentis Judæorum, constitutionibusque* aliis varii generis *Regum Aragoniæ*, quarum postremæ sunt Ferdinandi Regis Catholici, Barcinone editæ anno 1494. quæ omnia continet liber in charta annorum LXXX. & ultra, in fol. Notandum autem, per *sonum emissum* intelligi peculiare genus procedendi adversus delinquentes in Catalonia, scriptumque illum librum a CALICIO, fuisse anno 1406. ipsumque ut & *Directorium pacis & treguæ* postmodum podiisse Barcinone typis [4] Langobardicis absque die & consule.

XV. Inter eadem Augustini M. SS. porro habetur num. 426 CALICII *Directorium* pa-

1 In *Collatione* 7. cap. 1. num. 7.
2 In *Supplemento bibliothecæ Gesnerianæ* lit. I.
3 In *Biblioth. Hisp.* lib. 10. cap. 1. §. 31. seqq.
4 Videatur idem ibid.

*pacis & treguæ*, quod sub Martino Rege anno 1400. complevit, in illoque plures constitutiones, pragmaticasque sanctiones ac privilegia Catalanorum illustravit; sequendo ordinem Jacobi Cardoni Vicensis, civis sui, patroni caussarum haud incelebris; adjectæ sunt *Additiones* Tho. Mieres, JCti clarissimi propria ejus manu scriptæ, continenturque volumine in charta annorum CL. in fol. grandiori. Num. 427. iterum *Directorium pacis & treguæ, de concordia Reginæ Heleonoris & cardinalis Convenarum*, ac *Elucidarium soni emissi* anno 1406. compositum habentur in charta libro annorum C. in fol. Num. 428. iterum *Directorium pacis & treguæ cum repertorio seu inventario ejusdem, & constitutionibus notatis ad hanc materiam pertinentibus*, una cum *Elucidario seu processu soni emissi*, in libro chartaceo annorum C. in fol. Num. 429. *Additiones super Directorio pacis & treguæ, & postillæ ac quæstiones conclusionesque doctorum super eodem processu pacis & treguæ*, cum *variis pragmaticis de eadem materia*, libro in charta annorum C. in fol. Num. 430. Calicii *monetarium, privilegia militum de jure communi ac juribus Cataloniæ, de prærogativa militum, Curiale seu Extravagatorium curiarum, omnia* Calicii, *& forma sententiæ ferendæ a judicibus & provisoribus gravaminum in curiis generalibus electis*, omnia libro in charta annorum C. & ultra in fol. Num. 431. iterum

*Cu-*

*Curiale seu Extravagatorium curiarum, de prærogativa militari, & viridarium militiæ*, junctim in libro chartaceo annorum C. & ultra in fol. Num. 432. CALICII *allegationes super facto luitionis inchoatæ contra ecclesiam*, cet. una cum aliis libro chartaceo annorum CL. in fol. Hæc sunt potiora nostri CALICII, quæ MSta possedit incomparabilis Ant. Augustinus. Opera autem hæc omnia, aut saltim maxima eorumdem pars lucem vidit publicam typis Lugdunensibus excusa anno 1566. in fol. Conferantur omnino, quæ de CALICIO tradidere Tho. Mieres in *Collationibus* suis passim, [1] Ant. Olibanus *de Actionibus*, aliique.

XVI. A Calicio pedem proferimus ad JACOBUM DE MONT-JUI, MONT-JUINUM, seu de MONTE-JUDAICO. Cognomen is sortitus est a monticulo seu colle prope Barcinonem urbem sito, castelloque & arce ad propugnandam illam munito, (veteribus, ut creditur, *Mons Jovis* audiit, de quo geographi Hispaniæ consulantur) eumque Jaimi seu Jacobi I. Regis Aragonum supparem, aut non longo post vixisse tempore fama fert, quin & [2] Antonius noster, alicubi se testatur legisse, MONT-JUINUM hunc Dini Muxellani (ex primorum JCtorum numero unius) circa A. C. 1500. fama insigni floren-

1 Parte 1. lib. 3. cap. 3.
2 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 9. cap. §. 240. in fine.

rentis fuiſſe diſcipulum Bononienſi in univerſitate, ubi ille profeſſor jura docuit. Maximum ejus operum, quæ poſteris reliquit, eſt *Commentarius ſeu gloſſæ ad Uſaticos vel conſuetudines Barcinonenſes.* Typis illæ prodiere publicis uno cum aliis Jacobi & Guil. de Valleſicca ac Jac. Calicii, ſimilis argumenti gloſſis volumine, Barcinone apud Cl. ut Antonius ſeu Carolum, ut Verderius vocat, Amoros a. 1544. in fol. Exſtant reliqua hujus auctoris maximam partem inter M. SS. *Bibliothecæ* Ant. Auguſtini Latina, & quidem num. 411. *Lectura ſuper Uſaticos Barcinonenſibus, cum quibusdam additionibus in margine*, in libro membraneo CC. annorum in fol. Item num. 422. *Gloſſæ in Uſaticos Barcinonenſes, ac ejusdem & Bernardi de Seva, Raimundi Vinaderii, Berengarii Vives, & Bernardi de Montejudaico, JCtorum Barcinonenſium conſilium datum ſuper Uſatico* Auctoritate & rogatu, *ſecundo, & ſuper negotio nobilis vicecomitis de Rupemartino & illuſtris Regis Jacobi Majoricarum*, cet. in volumine membraneo annorum CC. in fol. Item num. 423. iterum *Gloſſæ in Uſaticos Barcinonenſes* in codice chartaceo annorum CL. in fol. Item num. 440. *Conſilium ſuper conſtitutione Regis Petri, quæ incipit:* Item quod in terris, cet. Quod cum pluribus aliis infra ſub Boteto recenſendis continetur codice membraneo CCL. annorum in fol. Item *Practica Uſatici de juriſdictione regia*: item *de* no-

*nominibus baronum Cataloniæ, de pace & tregua consilia*, aliaque [1] Antonio quoque in *Biblioth. vet.* laudata.

XVII. Sub Petro IV. alias III. Rege, qui Alfonso III. anno 1336. in regno successerat, floruere duo JCti eodem cognomento clari, JACOBUS nempe & GUIL. DE VALLESICCA, quorum & uterque *Usaticos* scriptis illustravit. Prior JACOBUS post Jac. Montjuinum huic operi incubuit, brevioribus tamen commentariis contentus, ut ex iis, quæ ad Usaticum *Omnes homines* scripsit, notat Jac. Marquilles. Posterior GUIL. diligentior Jacobo laboriosiorque fuit, *magni* etiam *in legibus patriis doctoris* encomio mactatus ab Ant. Olibano in suis ad *Usaticos* commentariis; Blancæ quoque audit legum & patriæ consuetudinum valde peritus, cujus in ipsis legibus interpretandis æquitateque explicandis scientia admirabilis illis temporibus habebatur; cum in celebri tunc interregno unus ex IX. JCtis assideret cognitioni jurium candidatorum coronæ Aragonicæ, *Commentarior.* pag. 230. Sub Petro IV. eum scripsisse sua, ipse testatur in commentario ad Usaticum *Princeps namque*, ejusdemque Regis cancellarius fuisse perhibetur; uterque autem, JACOBUS & GUILIELMUS, cives fuere Barcinonenses, ut [2] Antonius perhibet.

Ex-

1 Ibidem, eodemque §.
2 In *Biblioth. Hispana vet.* lib. 9. cap. 5. §. 264.

Exstant quædam hujus MSta inter illa Ant. Augustini, nimirum num. 408. ejus *Postillæ super constitutionibus* in libro membraneo annorum CC. in fol. & num. 422. *in Usaticos Barcinonenses glossæ cum multis additionibus in margine*, una cum aliis in codice membraneo CC. annorum, in fol. Item n. 423. eædem in libro chartaceo annorum CL. in fol. Jacobi etiam super *Usaticis* Barcinonensibus initium tantum, ut de *adulteriis secundum jura patriæ in Catalonia tractatus* exstat num. 323. una cum aliis in libro chartaceo annorum plus C. in fol.

XVIII. Illud fere omiseram, cum de Montjuino loquerer, doctorem 1 Ant. Ramques Seo-Urgelitanum eidem multo majorem tribuere vetustatem reliquis auctoribus, eumque circa A. C. 1300. jam floruisse vult: qua de re fides sit penes auctorem. Idem quoque Jac. de Vallesicca, quem *Villaseca* vocat, circa annum 1375. vixisse, & pereruditos in jure composuisse libros affirmat. Sed missis his ad reliquos commentatores Cataloniæ jurium nos convertimus. Petri IV. jam memorati Regis tempore fama quoque claruisse perhibetur in primis anno circiter 1356. Guil. Praepositi, seu Despaborde, seu Pre-

1 Scripsit is apologeticum patriæ contra Hispanos in motibus illis Gallicis circa A. 1640. hoc titulo: *Cataluña defendida de sus emulos, illustrada con sus hechos, fidelidad y servicios a sus Reyes*, cet. *Lerida por Enrique Castan.* 1641. in 4. cap. 11. pag. 34. b.

PREPOSIT, seu DEZPABORDA, prout varie apud varios audit. Catalanus is fuit, J. C. Arennii comitatus Ripacurtii seu *Ribagorza* floruit. Ejus MSta (typis enim impressum omnino nihil ejus vidimus) varia recensentur inter M. SS. Latinos τȣ̃ πάνυ Augustini, & quidem num. 435. habetur ejus *de pace & tregua ad consiliarios & probos homines Barcinonis, & ad Gaufridum de Ortigis cancellariam regentem liber* in charta ante plus C. annos exaratus in forma fol. minoris. Item n. 436. iterum *de pace & tregua*: item *de privilegio militari*, ac ejusdem *Abecedarium* (quod repertorium esse censeo) ut & *Ferdinandi Regis forma electionis a novem electoribus, & arbor Regum Aragoniæ*; omnia in chartaceo libro annorum plus C. in fol. Item n. 437. iterum *de pace & tregua*, cui adjecta *Doctorum practicorum Catalaniæ glossæ super constitutione* HAC NOSTRA IN CURIA PERPINIANI: item anonymi *quæstiones super processibus pacis & treguæ*, in quibus quædam a libro Vallesiccæ desumta: item *Recollectæ per aliquot juris peritos Catalaniæ super Usaticis Barcinonensibus*. Item *Præpositi de privilegio militari cum additionibus Thomæ Mieres*. Item *Additiones variæ super constitutione pacis & treguæ Ildefonsi Regis, quæ incipit* DIVINORUM ATQUE HUMANORUM, quæ omnia exstant in libro chartaceo annorum C. in fol. Item n. 432. inter alia habentur ejus de *privilegio militari* tractatus, ut & *Dubia quæ-*

*dam*

*dam decisa.* Confer [1] Antonium nostrum, qui vix alia, quam Augustinus, de eo habet.

XIX. Feudales in primis Catalaniæ constitutiones consuetudinesque quod attinet, illustrandis illis singulare studium operamque haud contemnendam impendit PETRUS ALBERTUS, Catalanus genere, & cathedralis ædis Barcinonensium canonicus, qui Ferdinandi I. Aragoniæ Regis ætate doctrinæ fama multum claruit. Habentur illa M. SS. in *Bibliotheca* Ant. Augustini, puta n. 440. inter alia exstant ALBERTI *Commemorationes seu consuetudines feudales inter dominos & vasallos Catalauniæ*, in codice membraneo annorum CCL. in fol. Item num. 425. eædem habentur in membraneo codice LXXX. annorum & ultra in fol. num. 415. *Usatici & Constitutiones ac consuetudines Cataloniæ*: itemque PETRI ALBERTI, atque etiam curiarum capita sub congruis titulis, in libro chartaceo annorum plus C. in fol. num. 416. iterum eædem adjectis capitibus seu *Capitols entre lo senyor Rey, e D. Carlos fill seu primogenit, y los diputats de Catalunya per raho del apresonament que feu lo dit Rey de son fill*: item *Capitols de censals morts, y violaris*, quæ habentur in volumine chartaceo annorum C. in fol.

XX. Ad Alberti hujus *commemorationes* rursus commentatus est JO. DE SOCARRATS,

J.

1 *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 9. cap. 6. pag. 3. col. 2. med.

J. C. gente Catalanus, natus in oppido San Joan de Abadessas, seu S. Joannis de Abbatissis dicto, dioecesi Vicensi subjecto, civis autem Barcinone vixit circa annum 1470. Ferdinandi II. Aragonum Regi, eo tempore adhuc regio, ut vocant, infanti nuncupavit opus suum, quod in Petri Alberti feudalia meditatus es, & publici juris fecit sub hoc titulo: *In feudorum consuetudines Catalaniæ Principatus commentaria, seu in consuetudines Cataloniæ inter dominos & vasallos, ac nonnullas alias, quæ commemorationes Petri Alberti nuncupantur*. Hoc opus ipse auctor testatur ad finem a se perductum absolutumque fuisse die XIXX. Oct. 1476. Lucemque publicam aspexit typis Barcinonensibus Jo. Guardiolæ excusus anno 1551. in fol. Lugduni quoque eodem 1551. anno (seu ut Lipenius habet 1515.) in fol. prodiisse ex [1] Verderio, testatur [2] Antonius, qui omnino de SOCARRATO nostro consulendus est, ut & [3] Jos. Pellicer de Tovar & Ossau, ac jam laudatus [4] Ant. Ramques, qui omnes nostri non sine elogiis meminere.

XXI. Usaticis, constitutionibus, consuetudinibusque explicandis ac juxta litterarum ordinem disponendis utilitati practico-

O rum

1 In *Supplem. biblioth. Gesner.* lit. I.
2 In *Biblioth. vet. Hisp.* lib. 10. cap. 12. §. 667. pag. 201. col. 1.
3 In *Idea de Cataluña* lib. 4. pag. 516.
4 In *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 34. b. fin.

rum fori Catalanici consulere haud parum laboravit BERENG. DE MONTRAVA, Catalanus gente ac domo, canonicus quippe & sacristanus, ut vocant, cathedralis ecclesiæ Urgelitanæ, floruit scripsitque circa initium sæculi XV. anno quippe 1426. absolvit *Lumen suum constitutionum, usaticorum, & consuetudinum Cataloniæ, aliorumque ejus jurium, ad relevamen laboris advocatorum ordine alphabetico digestum.* Sic enim habet titulus ac suscriptio, quam prima fronte exhibet codex MS. ejus libri, qui duplex habetur in *Bibl.* Antonii Augustini num. 420. & 421. inter Msta. Latina, utrumque in fol. libro chartaceo annorum plus C. Notandum autem in numeri posterioris 421. volumine adjecta esse varia Calicii opuscula, ut & *Regum Aragoniæ genealogiam*, quæ initio voluminis exstat, item *Tarraconensis provinciæ quasdam constitutiones, Gratianique summam Decreti*, cet. Conferantur etiam, quæ de hoc nostro disserit [1] Antonius, qui tamen præter allegata ex Augustini *Bibliotheca* perpauca adjungit.

XXII. Excipit Montravum ætate suppar aut proximus THO. MIERES, J. C. nulli Catalanorum facile secundus. Gerundensis is ortu est, Alfonsoque V. Aragoniæ Regi a consiliis fuit, regiique apud Catalanos fisci patroni munus gessit. Publico anno 1439. stitit

*Ap-*

1 In *Biblioth. vet. Hisp.* lib. 10. cap. 3. §. 105. pag. 140. col. 1.

*Apparatum super constitutiones curiarum generalium Cataloniæ*, idemque opus postmodum SIGISMUNDUS DESPUJOL J. C. de quo inferius adhuc fiet mentio, exornavit *Indice singularum materiarum doctorum practicorum fori Catalanici, in quo latebræ, quæ in* THOMAE *hoc Apparatu existebant, abditæ demonstrantur*, ut libri titulus habet. Editus ille *Apparatus* fuit Barc. 1533. in fol. duobus tomis, & rursus anno 1610. in fol. & rursus Barc. 1621. in fol. crasso volumine. Quin & peculiarem MIERES noster tractatum *de homagio & oppressione* exarasse perhibetur a [1] N. Antonio. Msta nonulla ejus habentur in *Bibliotheca* Augustiniana jam toties laudata, nimirum num. 410. inter alia habentur *Usantiæ & consuetudines civitatis Gerundensis a libris peritorum & usibus utentium observatæ, & a* THO. MIERES licentiato, patrono caussarum, in unum collectæ sub certis titulis anno 1439. Sic enim titulus habet libri chartacei, quod illic erat annorum CL. in fol. Item num. 426. JAC. CALICII *Directorium pacis & treguæ*, jam superius recensitum, ad quod MIERES noster propria manu *additiones* fecerat. Item num. 433. *Scholia & interpretationes in constitutiones Cataloniæ* in charta scriptæ ante C. annos in fol. Item num. 437. inter alia exstant ejusdem *additiones ad Guil. Præpositi seu Despaborde*

O 2 de

1 Lib. 10. cap. 5. §. 289. pag. 259. col. 2.

*de privilegio militari* superius jam enarratum opus. Consulatur quoque, qui sæpius nostrum allegat MIERES, [1] Jos. Pellicer, vir maxime industrius & πολύγραφος.

XXIII. Eodem, quo MIERES, tempore quoque claruit JAC. seu JAIME DE MARQUILLES, J.C. Catalanus Barcinonensis, teste Ant. Ramques, qui egregiam illustrandis patriæ legibus operam navavit, in tantum ut & clarissimus ille Cataloniæ historicus Hier. de Pujades in sua [2] *Historia de Cataluña* eum ceterorum Cataloniæ doctorum parentem appellare non sit veritus. Presbyter is vixit ac civis Barcinone, præclaro itidem vicecancellarii apud Martinum Aragoniæ Regem munere functus, prout ipse in *commentario* ad Usaticum: *Princeps namque*, cet. versu: *Ea propter*, & ad Usaticum *Potestatem*, quæstione ultima fatetur. Idem in universitate Ilerdensi baccalaurei utriusque juris gradum obtinuit, ut in præfatione ad commentarios suos affirmat. Sed curiosa præ ceteris sunt, quæ ipse de se in dedicatione ejusdem operis, stilo, prout illi ætati familiare erat, simpli-

ci

1 *Idea de Cataluña* lib. 4. num. 6. pag. 461. in 8. Adde Ant. Ramques *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 34. b. fin.

2 Cujus non nisi pars prima ad Maurorum usque tempora procedens lucem aspexit Barcinone typis Hier. Margarit, 1609. in fol. De eo vide accuratissimam Antonii & Corberæ censuram inferius, ubi de hoc disseremus auctore, citandam.

ci ac plano scribit his verbis: *Civitatis Barcinonensis consiliariis* JAC. MARQUILLES, *presbyter, minimus in decretis baccalaureorum, civis & incola civitatis, cujus supra, & in octogenaria ætate cum uno constitutus, nullumque obtinens beneficium, nisi quamdam in Barcinonensi ecclesia capellaniam valoris septem librarum cum dimidia Barcinonensium, vel circa*, cet. Ex quo miseræ optimi illius senis vitæ conditio facile elucet. Absolvit autem opus illud suum, ut in fine illic habetur, regnante Alfonso IV. die Martis, secundo Apr. A. C. 1448. regni Alfonsi XXXIII. Titulus seu inscriptio ejusdem operis hæc est: *Manna* JAC. DE MARQUILLES *super Usaticis Barcinonæ*. Barcin. typis Jo. Luschner, Germani, 1505. in f. litteris antiquis; editum autem est opera & cura Jo. Andreæ Riquerii, J. C. & regiæ curiæ Barcinonensis judicis, qui illud Petro de Cardona, episcopo Urgellensi & principatus Cataloniæ cancellario nuncupavit, magnumque auctori nostro in epistola illa dedicatoria elogium suspendit; ut fuse hæc omnia quoque enarrat [1] Antonius noster.

XXIV. Priori adhuc ac Mieres, Marquilles, aliique, si ætatis habeas rationem, nominandus erat loco NARCISSUS, canonicus, S. Dionysii Barcinonensis. *Epitomatoris* is titulo insignitur ob præstitam in compendium re-



1 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. cap. 5. §. 299. seqq. pag. 161. col. 1. & 2.

redigendi Catalanorum leges haud exiguam civibus suis operam. Opus illud publicis umquam prodiisse typis dubitamus, nec [1] Antonio, qui ejus nonnisi manu exarati meminit, tale visum, ex Ant Augustini catalogo, ubi aliquoties exstat, ejus hic titulum dabimus; num. nempe 410. inter alia varia superius jam recensita habetur NARCISSI *S. Dionysii, canonici Barcinonensis compendium seu epitome constitutionum Cataloniæ generalium, in decem partes distributum, sermone exaratum patrio, & sub rubricas redactum, ordineque titulorum codicis Justinianei dispositum*, in libro chartaceo annorum CL. forma fol. ejusdemque ætatis simile aliud exemplar num. 417. & 418. ejusdem catalogi exhibetur, rursusque num. 419. cui tamen sequentia adjecta sunt: *Incerti auctoris de censuris ecclesiasticis, & de pœnitentiariis, & eorum potestate; Innocentii IIX. bullæ de potestate pœnitentiariæ anno* 1486. It. *Nic. Eymerici seu Aimerici ordinis Prædicatorum & Aragoniæ inquisitoris de jurisdictione inquisitorum, in V. partes, Avinione jussu Clementis VII.* 1383. *conscriptum*, cet.

XXV. *Usaticos* etiam commentario, qui hodienum in scriniis MS. latet, peculiari illustravit PETRUS DESPENS, Catalanus gente; [2] Ant. Ramques teste, primus in Ilerden-

1 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. pag. 270 col. 1.
2 In *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 35. med.

densium universitate juris legumve professor. Idem & tentavit argumentum Petrus Terreni, ut [1] Antonius, seu Terrena, ut A. [2] Ramques, seu Terrera, ut [3] Boschius eum vocant, Catalanus itidem, cujusque meditata etiam adhuc in scriniis asservantur, ut & Reginaldi de Arca, Catalani, qui etiam quædam in *Usaticos* patrios est meditatus, [4] Nic. Antonio judice, qui & alibi [5] annotatum reliquit, laudari inter constitutionum istarum commentatores etiam Arnoldum de Moravia, Catalanum, quem tamen Ramques Arnau de Moraria, Antonii vero Augustini *Bibliotheca* Moravam vocat, ejusque num. 434. *Scholia in curiarum Regis Alfonsi II. capitula* recenset exstantia in libro chartaceo annorum C. in fol.

XXVI. Similem in *Usaticos* operam quoque præstitit Bern. de Ceva, qui [6] Nic. Antonio, & [7] Ant. Ramques testibus *Apostillas super feudalibus Cataloniæ consuetudinibus* scripsit. Catalanus ipse fuit, & apud Jac. Marquilles audit Bertrandus. Augustinus in *Bibl.* eum Seva scribit, & num. 422. ejus ac aliorum JCtorum consilium



1 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. pag. 271. col. 2.
2 In *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 35. mèd.
3 In *Titols de honor de Catalunya.*
4 In *Biblioth. vet.* pag. 271. col. 2.
5 Ibidem pag. 262. col. 1.
6 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. pag. 262. col. 1.
7 In *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 35. med.

super Usatico *Auctoritate & rogatu* secundo superius jam allegatum exhibet. Notas etiam ad *Usaticos* Cataloniæ illustrandos composuit GUIL. DOMINICUS, seu DOMENGE aut DOMENEC, vernaculo sermone dictus. Manuscriptæ etiam illæ asservantur in *Bibl.* Augustiniana, in cujus catalogo num. 432. recensentur una cum aliorum antiquorum in eosdem *Usaticos* commentariis, & Guil. Præpositi, Caliciique, cet. nonnullis opusculis in libro chartaceo annorum CL. in fol. Confer. [1] Antonium.

XXVII. JACOBUM quoque de MONELLIS, JACOBUM CARDONI, ac JACOBUM MATTHAEI, Catalanos omnes JCtos in *Usaticos* scripsisse glossas & commentaria testatur, qui in egregio suo *de* [2] *Actionibus* opere, ea citat, Ant. de Oliba, & qui ex illo ea annotavit [3] Nic. Antonius. Quartus tribus his accedit JAC. CALVETUS: cujus & GUIL. DE VALLESICCA *Apostillæ super constitutionibus seu Usaticis* habentur in *Bibl.* Augustini in libro membraneo CC. annorum in fol. num. nempe 408. Item num. 434. habentur ejusdem *in capitula curiarum Regis Alfonsi II. scholia* in libro chartaceo annorum C. in fol. ad-

1 In *Biblioth. veteri* lib. 10. loco jam citato, qui tamen eadem cum Ant. Augustino habet: Ramques autem eum in catalogo JCtorum Catalanorum penitus omisit.

2 Parte I. lib. 3. cap. 3. num. 98.

3 In *Biblioth. vet. Hisp.* lib. 10. pag. 266. col. 2.

adjectis in eadem capitula aliis Guillelmi de Podio, Catalani quoque J. C. ut & Arnoldi de Morava jam superius recensiti scholiis.

XXVIII. Ipsam quoque antiquitatem sapiunt Ilerdensis in Catalonia urbis consuetudines, earum enim anno jam 1232. epitomen exaravit consul ejusdem urbis Guil. Botetus; MStæ illæ asservabantur olim in Cl. A. Augustini *Bibl.* in cujus catalogo M. SS. Latinorum num. 440. tali titulo recensentur: Guil. Boteti *consulis Ilerdensis consuetudinum ejusdem civitatis epitome anno* 1232. *collecta, una cum Jacobi Regis litteris statutorum circa judicia: variis constitutionibus in diversis curiis latis; Ildefonsi seu Alfonsi Regis constitutione de pace & tregua, aliisque ejusdem argumenti; Anonymi interpretis super constitutione vel Usatico:* Quoniam ex conquestione, *Jacobi Regis constitutione super usuris; Petri Regis constitutionibus, quarum prima* de pace Regis, *in qua sunt hæc verba:* Constituit per totam Cataloniam, videlicet a Salsis usque ad Leridam: *Petri Regis donatione facta Hermengaudo filio Alvari de comitatu Urgelli, & villa de Balaguerio, & de castris nominatis in donatione anno* 1278. *Urbani bulla confirmante donationem factam de moneta in curia generali Montisonis anno* 1236. *tempore Jacobi Regis ad recuperationem Valentinæ urbis; Jacobi II. Alfonsi & Petri III. Regum constitutionibus.*

XXIX.

XXIX. Ut reliquos JCtos Catalanos, quorum magnus adhuc numerus ad patrios *Usaticos* commentaria edidere, summatim recenseam; id solum addam, [1] Andr. Boschium, [2] Antoniumque Ramques, Usaticorum glossatores inter referre RAIM. DE AREA, seu RAMON DE ARCA; RAIM. BALLISTER, JAC. seu JAIME DE FARO, BERTR. seu, ut in [3] catalogo Augustini legitur, BERN. DE MONTEJUDAICO seu MONTJUNIUM, BERENG. DE GUALBIS seu GUALBES. Hic BERTRANDUS audit Blancæ *Comment.* pag. 238. ubi civilis juris intelligentia atque omni prudentiæ genere multum præstitisse asseritur, unus ex IX. in celebri interregno apud Aragones judicibus caussæ candidatorum coronæ, anno 1412. PETRUM DE PONTE, vel, ut Ramques, DE RONT, JAC. CARDONAM, Vicensem, seu ex oppido *de Vique* oriundum; GOTHOFR. item, seu JOFRE DE BIVRE, archidiaconum ecclesiæ metropolitanæ Tarraconensis, ut & GUIL. DE BIVRE, quorum uterque ad *constitutiones provinciales* est commentatus, ut reliquos silentio præteream.

XXX. Ad recentiora nunc tempora festinamus, & auctores nobis sumimus enarrandos, quorum scripta typis impressa omnium hodienum manibus teruntur. Primum in-

1 *Titols de honor de Catalunya* lib. cap. 13.
2 *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 35.
3 In manuscriptis Latinis num. 422.

inter illos locum assignamus Ant. Olivan seu Olibae, aliquoties jam a nobis allegato. Catalanus fuit ex oppido Ceretanorum, cui *Porta* nomen, seu, ut [1] Ant. Ramques credit, ex valle Querolensi seu *de Querol* oriundus. Barcinone vixit civis ex primariis urbis, seu, ut sermone vernaculo exprimunt, *ciudadano honrado*; jurium studia non Ilerdæ solum, sed & in Tolosana Aquitanorum academia excoluit, in Ilerdensi tamen eadem ex superiori quoque cathedra docuit abreptus autem inde ad praxin forique strepitum, doctor jam Ilerdæ renuntiatus, Barcinone aliquot annorum spacium tuendis civilibus caussis insumsit. Quod quidem advocati munus, & nugatoriam, ut ipse appellare non erubuit, forensium controversiarum dimicationem pertæsus: quasi theoricam juris resumturus concessit in almam Salmantinam. Ea in chola instructus vera perfectaque docendi methodo, rediit ad suos, Ilerdæque iterum interpretandi jus Rom. partes avide arripuit. Sed tandem acturus caussarum patrocinium, unde se olim subduxerat, Barcinonem repetiit. Qua cura diu & usque ad quinquagesimum ætatis annum gesta, regius Barcinonensis senator creari tandem meruit. Edita quædam ab eo sunt in jure diligenter ac docte scripta, quibus dignum se gerendo illi magistratui ostendit. Oblatum quoque postmodum

4 *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 35.

dum in regia suprema curia, summoque Aragonensium rerum senatu fisci patrocinium recusavit, & in senatorio illo munere Barcinone vitam finivit, multam a viris doctissimis industriæ ac doctrinæ laudem post fata promeritus, ut hæc omnia eleganter pronuntiat [1] noster Antonius.

XXXI. Scripta nunc quoque optimi nostri Olibae oportet enarrare. Illa inter principem occupant locum ejus *de actionibus commentaria*, duabus partibus distincta, quarum altera ad juris artem, cognitionem & scientiam, quæ vulgo *theorica* dici solet, altera ad usum & exercitationem forensem, seu praxin fori, in primis Catalanici spectat; utraque junctim edita est post obitum auctoris cura & additionibus Hippolyti Montaner, auctoris generi, auctior Barcinone apud Gabr. Graels 1606. in fol. Alterum non minus celebre nostri opus circa jura fisci explicanda versatur, editumque est tali titulo: *In Usaticum* Alium namque, cet. *de jure fisci libro X. constitutionum Catalonicarum commentarii*, quibus adjecta in fine *brevis summa & explicatio jurium regalium, quæ Rex Aragonum & comes Barcinonensis exercet cum debita moderatione in bonis & personis ecclesiasticis provinciæ Cataloniæ*. Itidem Barcinone apud Gabr. Graels & Gerard. Dotis 1600. in 4.

XXXII. Speciatim ad nonnullas Cata-

la-

[1] In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 115. col. 2. fin.

lanorum constitutiones, illas nempe, quas Jacobus seu Jaime II. Aragonum Rex publicari curaverat, commentatus est Jo. Sunier, Catalanus, jurium doctor, & Catalonici senatus auditor seu *oidor*: hoc nomine enim consiliarii apud Hispanos veniunt. Nobis quidem illas videre numquam contigit, fide tamen illustris viri [1] Jo. Pellicerii de Tovar hæc damus. Franc. etiam Ferrer et Noves, Catalanus, civis Ilerdensis, J. U. D. ac post vicennale civilium caussarum actum patrocinium in tribunal inter ordinarios allectus judices celebre admodum ex jure Catalano thema peculiari libro pertractandum sibi sumsit, *de impuberum* nempe *successione*. Opus illud hoc titulo typis impressum prodiit: *Commentaria seu glossemata ad utiliorem quamdam ex constitutionibus principatus Cataloniæ incipientem*: Les impuberes, cet. *sub rubro*: de popularibus & aliis substitutionibus. *Ilerdæ* apud Lud. Manescal anno 1617. in fol. Idem & aliud hoc titulo insigne edidit volumen: *Commentaria ad constitutionem incipientem*: Hac nostra principatus Cataloniæ, *cet.* sub titulo: *Soluto matrimonio*: itidem Barc. excusum apud Margaritam Anglada 1629. in fol. ut hæc omnia nos fusius edocet [2] Nic. noster Antonius.

XXXIII.

1 *Idea del principado de Cataluña* lib. 4. num. 12. pag. 496.

2 *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 325. col. 1. fin.

XXXIII. Sed, ut ad praxeos fori Catalanorum magistros redeam, magnum inter illos nomen sibi eximio peperit opere MICH. FERRÈR, Cæsaraugustanus, idem ille, qui & Aragonicis praxin fori peculiari libro superius recensito proposuit. Conscripsit enim is quoque *Observantias sacri regii Cataloniæ senatus*. Opus hoc post auctoris obitum in manus incidit SIGISMUNDI DE ESPUJOL, Catalani illius, qui Thomæ Mieres *Repertorium* utili labore melioravit. Cataloniæ oppidum *Espujol*, a quo & nomen ei hæsit, dioecesis Vicensis a S. Hippolyto cognominatum, lares ei paternos dedit; J. U. D. ac Barcinone caussarum patronus fuit in suprema curia. Hic ergo Ferrerii illas observantias suis auctiores additionibus in lucem prodire curavit Barcinone apud Jo. Simon. 1608. ut [1] Antonius habet, & catalogus *Bibl.* Didaci de Arce & [2] Reinoso, vel, ut [3] Lipenius, 1610. in fol.

XXXIV. Excipiat hos eximiæ inter gentis suæ jurisperitos famæ vir, JO PETR. FONTANELLA, Catalanus J. C. doctor, & in Barcinonensi curia caussarum patronus disertissimus. Patriam is agnoscit *Olot*, Vicensis dioeceseos oppidulum, in quo primam anno 1576.

as-

1 *Biblioth. Hisp. novæ* tom. 2. pag. 106. col. 2. in med. & pag. 231. col. 1. med.
2 In libris juridicis fol. 3. num. 178.
3 In *Biblioth. juridica* tit. *Aragonia.*

aspexit lucem; Barcinone vixit in civium honoratorum album illic relatus, ejusdemque urbis ac principatus Cataloniæ legatus in curiam venit anno 1621. ut ipse de se refert in libro [1] *de pactis nuptialibus* mox laudando, *magnaque*, ut diserto [2] Nic. Antonii eum laudem elogio, *nominis celebritate & fama, quam doctissimis lucubrationibus, quæ hodie exstant, in vulgus editis, mirifice augebat, carus omnibus vixit; & nisi in tempora incidisset turbatæ discisæque miserabiliter Reip. cujus æstu inter primos fuit abreptus, secundiori adhuc fama nomen suum immortalitati commendasset. Creatus enim tempore eo, quo marchio* de Velez *cum exercitu regio Barcinonis instabat mœnibus, summus ejusdem urbis prætor* (juratum in capite *vocant*) *magna pars enatarum inde turbarum, præfractæque civium contumaciæ fuisse dicitur. Nemo tamen æqualium hujus temporis doctrinæ ejus præstantiam non summis laudibus extollit, quorum laudatorum catalogum Jos. Fontanella filius, in Galliis exsul*, Decisionum *patris editioni affixit.* Opera, quæ noster in publicum emisit, varia sunt. Ad nostrum conducunt finem *sacri senatus Cataloniæ decisiones*, quæ II. voll. editæ sunt Barcinone primum apud Petrum de la Cavalleria 1645. in fol. & Genevæ junctim 1662. in fol. prius volumen se-

1 Clausula 10. glossa unica, num. 35.
2 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 581. col. 2. fin.

ſeparatim Venetiis 1640. in fol. Lipenio eſt 1641. Sed nec reliqua ejus tacebimus opera, quorum primum tenet locum illud *de Pactis nuptialibus ſeu capitulis matrimonialibus*, voll. II. editum, quorum prius nuptialia pacta, quibus filio uxorem ducenti parentes, alterum ea, quibus filiæ nubenti proſpicere ſolent, complectitur. Barc. hoc opus prodiit 1612. in fol. Genevæ 1638. in fol. Venetiis apud Bertanos 1645. in fol. Genevæ iterum 1659. in fol. & rurſus ibid. 1667. in fol.

Scripſit & *de jure patronatus* librum Romæ editum anno 1666. in fol. [1] Beughemio teſtante, quem tamen ſilentio præteriit Antonius.

XXXV. Similem haud inutiliter præſtitit operam Jos. RAMON Catalanus J. C. Hic poſtquam in ſchola Barcinonenſi utrumque & civile Romanorum & canonicum jus docuiſſet, ſupremæ ibidem curiæ advocatus cum eſſet, edidit *Conſiliorum una cum ſententiis & deciſionibus audientiæ regiæ Barcinonenſis, ſive principatus Cataloniæ*, volumen I. quod prodiit Barc. apud Steph. Liberos, 1628. in fol. Plura autem num lucem viderint, eſt quod dubitemus, Antonius certe non niſi primi meminit. [2] LUD. PEGUERA illud quoque argumentum inter alia, quæ luci dedit pu-

1 In *Bibliographia juridica*, lit. F.

2 In *Biblioth. nova* tom. 1. pag. 1. col. 1.

publicæ, opera tractavit. Minorisa seu *Manresa* Cataloniæ municipio oriundus erat, juris consultus & assessor primum curiæ *capitaniæ*, ut vocant, in dicasterio dein Barcinonensis urbis, & criminalium caussarum foro senator regius. Ejus opera, ne tot vicibus eadem recoquere opus sit, hic una vice recensere placet, quæ sunt sequentia: *Decisiones Cataloniæ senatus* II. voll. editæ Barcinone anno 1605. & 1611. Taurini 1613. in fol. Venetiis apud Jo. Ant. Somascum 1608. in fol.

XXXVI. Reliqua ejus sunt: *Quæstiones criminales in actu practico frequentiores in Barcinonensi regio concilio criminali pro majori parte decisæ*, & Barcinone excusæ anno 1585. in fol. Venetiis item 1590. in 8. Francof. 1569. & 1609. in 4. *Aurea & elegans repetitio in capit. 3. incipiens*: Item ne super laudemio, cet. *domini Regis Petri III. in curia Cervariæ, in qua multa de feudis, laudemiis, de jure prælationis seu faticæ in alienatione rerum feudalium & emphyteuticarum, de gratificatione rerum feudalium, de jure primogenituræ circa successionem regalium dignitatum, de capacibus, & non capacibus ad feuda obtinenda, de omnibus caussis, per quas potest procedi ad emparandum feudum realiter, copiosissime tractantur*, cet. Barcinone apud Petrum Mali 1577. in fol. *Practica* quoque *de celebrar cortes en Cataluña*, sive de modo celebrandi comitia apud Catalanos Hispano sermone scripsisse libellum per-

 hi-

hibetur, quem tamen inter MSta adhuc aſſervari audio. Sed magnam nominis famam præ omnibus his operibus auctori huic peperit *Practica criminalis & civilis*, quæ aliquoties Barcinone æque ac alibi recusa fuit, usque dum ibidem Ant. de la Cavalleria anno 1649. eam in fol. ederet locupletem *additionibus* haud contemnendis ACASII ANT. DE RIPOLL, de quo etiam monenda quædam duco.

XXXVII. Fuit ACATIUS hic ANT. DE RIPOLL Barcinonensis Catalanus, *domicellus* (ita parente geniti equite aurato apud Hispanos audiunt) philosophiæ æque ac U. J. D. Salmanticæ, ubi sub Gabr. Henriquez, Jo. Vela, aliisque JCtis Themidis sacris fuerat operatus, renuntiatus, in Oscensem dein XX. annorum juvenis se contulit, jura illic e superiore cathedra professus, tandem in regio generalis, ut vocant, *bajuliæ* concilio senator annis XVI. integris sedit, novennio toto munus una advocati fiscalis gerendo. Præter jam citatas *additiones* ad Peguerae praxin *Ordinem judiciarium* scripsit *caussarum usu frequentium in curia vicarii Barcinonensis*, qui praxi illi est adjunctus: item *Tractatum regaliarum* Barcinone apud Gabr. Nogues 1644. in fol. *Varias* quoque *resolutiones juris* Lugd. curavit edi in fol. Obiitque tandem sacris jam addictus, & presbyterorum ordini ascriptus, eodem, quo Gallis Cataloniam detinentibus munere suo remotus erat,

rat, tempore, ut ab [1] Antonio edocemur.

XXXVIII. Haud injuria & huc referimus Jo. PAULUM XAMMAR, Barcinonensem, *domicellum*, J. U. D. & per sedecim primum annos juris canonici in patria universitate antecessorem primarium, assessorem dein domus ejusdem civitatis, consiliarium regium, tandemque assessorem bajuliæ generalis Cataloniæ, nec non officii regii magistri rationalis. Edidit enim & hic *Rerum judicatarum in regio senatu Cataloniæ* partes duas, Barcinone impressas typis Narcissi Casas, 1657. in fol. Idem quoque commentatus est *de officio judicis & advocati* libro uno Barcinone apud Jac. Romeu 1639. in fol. edito. Quin de patria quoque peculiari opere bene mereri voluit, edendo *civilem doctrinam de antiquitate, religione, privilegiis inclitæ civitatis Barcinonensis*, qui liber primum anno 1654. prodiit, purgatusque ab iis, quæ a turbato illius temporis Reip. statu contraxerat, vitiis, recoctus est anno 1668. licet post auctoris obitum, ut [2] Antonius noster, testatur.

XXXIX. Locum quoque sibi hic vindicat MICH. DE CORTIADA, Ilerdensis Catalanus, J. C. ac professor primum legum Rom. in universitate patria primarius. Inde in forum egressus Sardiniam concessit advo-



1 In *Biblioth. Hisp. nova* tom. 1. pag. 1. col. 1.

2 In *Biblioth. nov.* tom. 2. pag. 677. col. 1.

catus regii fisci in caussis criminalibus: revocatus post in patriam provinciam idem fiscalis advocati munus in curia Barcinonensi pro regio patrimonio gessit, ibidemque collegit *Decisiones Rev. cancellarii sacri regii senatus Catalanici, sive partem I. pro praxi contentionum & competentiarum regnorum coronæ Aragonicæ.* Barcin. apud Jos. Forcada 1661. in fol. Sequuta dein *Decisionum pars II. pro recto usu contentionum & competentiarum regnorum inclitæ coronæ Aragoniæ super immunitate ecclesiæ.* Ibid. ap. eumdem 1665. in fol. Confer [1] Antonium.

XL. Primo inter jam recensitos loco nominari meruerat JAC. CANCERIUS, seu JAIME CANCER, Aragonensis, ex oppido *Balbastro* ortus, etiamque domicellus, qui post jacta in Salmantina Oscensique academiis jurium fundamenta, Barcinone fixit domicilium, patronumque illic caussarum in supremo senatu egit, *munere* illo, [2] Nic. Antonio judice, *insigniter impleto, librisque foras emissis, veluti principatum in Catalonia sui temporis juris consultorum (si Fontanellam excipias) obtinuisse visus fuit;* de quo testantur, quæ publici juris fecit, opera *Variarum* nempe *resolutionum juris Cæsarei, Pontificii & municipalis principatus Cataloniæ*, tomi III. Barcinone anno 1594. & rursus 1608. in

1 In *Biblioth. novæ* tom. 2. pag. 106. col. 1.
2 In *Biblioth. nov.* tom. 1. pag. 468. fin.

in fol. Denique ex ultima hac editione ab auctore ipso ante obitum diligentiſſime recognitas & altero fere tanto auctiores illas *reſolutiones* denuo edidit doctor de Myr, auctoris gener, partim Turnoni in Gallia apud Laur. Durandum anno 1635. partim Lugduni apud Laur. Arnaudum 1644. in fol. Francof. etiam 1643. in fol. & iterum Lugd. 1659. & ibid. rurſus 1670. in fol. tribus tomis, [1] Beughemio teste. Ipſe vero auctor Barcinone obiit LXXII. annorum ſenex, aſſeritque Antonius, diſparuiſſe inter auctoris manus alterum *reſolutionum* ſeu *conſiliorum* iſtorum volumen, fruſtraque poſt ipſius obitum ab ejus propinquo Don Joſe Ninot, Gerundenſi primo, poſt Ilerdenſi epiſcopo, cum Romæ auditor eſſet rotæ, fuiſſe quæſitum.

XLI. Sed ſufficiat hos recenſuiſſe fori Catalani daduchos, reliquum, ut qui de ſtatu juridico comitiiſque principatus hujus ſcripſere, auctores quoque breviter enarremus. Prius tamen adhuc par auctorum allegabimus ad praxin hujus fori referendum. Alter eſt Galdericus Gali, Catalanus Gerundenſis, J. C. ac Pedemontano-Inſubricæ legionis peditum, quæ Mediolani meret, juridicus. Huic enim (licet Antonius nihil de eo memoret) [2] Antonius Ramques tribuit *compendium cauſarum criminalium*, quod tamen numquam no-



1 In *Bibliogr. jurid.* lit. I.
2 In *Cataluña defendida* cap. 11. pag. 39. col. 2.

nobis visum est, nec ejus locum & annum editionis adjecit. Alter est FRANC. MOLINUS, vulgo MOLI, Petri filius, patritius Ilerdensis, ac patris in professoratu ibidem juris successor, ac Pontificii Cæsareique primarius antecessor. Hic in otio dein erudito delitescens edidit *Commentarios de brachio sæculari ecclesiæ præstando, & mutuis judicum auxiliis, cum libro singulari de sacra homicidio amittenda immunitate.* Barcinone 1607. 4. Idem & *de ritu nuptiarum & pactis in matrimonio conventis* tractatum emisit Barcinone apud Laur. Deu 1618. in fol. quod opus legatum cum aliis Jesuitarum collegio post auctoris obitum lucem vidit, [1] Antonio teste.

XLII. De statu Cataloniæ juridico generatim commentatus est, qui reliquis palmam præripuisse videri potest, ANDR. BOSCH, Perpinianensis, legum doctor, judexque, ut vocant, primarum appellationum in comitatu Ruscinonensi, secundarumque in comitatu Cæretaniæ, tertiariorum (*terceros*) S. Francisci regulam professus. Hic enim vernaculo Catalanorum sermone edidit: *Summari, index, o epitome dels admirables y nobilissims titols de honor de Catalunya, Roselló y Cerdanya, y de les gracies, privilegis, prerogatives, preheminencies, llibertats, e inmunitats gosan segons les propries y naturals lleys*, hoc est, de *titulis seu appellationibus* ho-

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 342. in fin.

*honorificis , quorum usus est in Catalonia, Ruscinone & Cæretania, ac de privilegiis & immunitatibus ; quibus earum provinciarum incolæ secundum leges patrias gaudent.* Perpiniani apud Petr. de la Cavalleria 1628. in fol. Hoc ergo in tractatu, libro præsertim II. auctor plura de Cataloniæ statu regiminis, & politicis æque ac juridicis muneribus agit.

XLIII. Multa etiam scitu digna, atque ad congnoscendum Cataloniæ statum juridicum apprime facientia exponit Jos. PELLICER DE TOVAR ET OSSAU in libro suo *Idea del principado de Cataluña* dicto. Auctor hic ob insignem librorum chartarumque, quas elucubravit, farraginem, multa apud suos æque ac exteros fama claret. Cæsaraugustam patriam, Complutum philosophiæ, Salmanticam jurium scholam, Madritum, ubi a teneris inde hæserat, theatrum vitæ habuit, a Philippo IV. Rege archichronographi regii munere ornatus. Librum istum (ut reliquorum omnium, quos ipse PELLICER serie chronologica in *Bibliotheca* sua, [1] Nic. Antonius in [2] *Hispana*, recensent, mentionem hic nullam faciam) hoc titulo publicavit auctor: *Idea del principado de Cataluña, recopilacion de sus movimientos antiguos y modernos, y examen de sus privilegios, parte I.* Antuerpiæ

 1642.

1 Valentiæ impressa ap. Hier. Vilagrasa 1671. in 4. num. 55. pag. 27. b.

2 Tom. 1. pag. 621. col. 1.

1642. in 8. Plures autem partes lucem non videre. Hunc librum ex mandato Regis opposuit Gallis æque Bessino Array, & Jacobo Cassano, jura Regis in Catalanos asserentibus, ac scripto illi famoso *Proclamacion catholica* dicto, & superius a nobis citato. Sed & adversus *Ideam* illam Pellicerii stilum acuere Franc. Vopis, nomen spurium, in tractatu: *Ingenuidad Catalana, corona de lilios*, inscripto, quem auctor libro *Aristarco o censura de la proclamacion catholica* dicto opposuerat. Aristarchum illum jussu comitis ducis de Olivares scripserat D. Franc. de Rioja, ut Bernardinus de Pardeñas consiliarius cameræ Castellæ, ex cujus bibliotheca librum emi, manu sua annotaverat. Item doctor Franc. Marti et Viladamor, historiographus regius & patronus fisci bajuliæ generalis Catalanæ in libro: *Manifiesto de la fidelidad Catalana, integridad Francesa, perversidad enemiga, de la justa conservacion de Cataluña en Francia*, Parisiis, excuso 1646. in 4. maj. & cardinali Mazarinio inscripto.

XLIV. Circa idem versatur quoque argumentum *Speculum* illud *Cataloniæ* a nobis superius aliquoties citatum, quod scripsit Fr. Gabr. August. de Rius, Barcinonensis, Ord. S. Augustini ad D. Annæ Tarraconensium, & in æde sacra metropolitana theologiæ professor, ac provinciæ Aragonensis inquisitor fidei, seu censorius judex *quali-*

*fi-*

*ficatoris* titulo. Hic enim librum illum, cujus titulus: *Cristal de la verdad, espejo de Cataluña*, pro tuendis Philippi IV. in Catalanos juribus *Proclamationi* horum *catholicæ* opposuit, Cæsaraugustæque edidit 1646. in 4.

XLV. De Reip. speciatim apud Catalanos muneribus juridicis in primis integrum volumen construxit GABR. BERART ET GASSOL, Barcinonensis J. U. D. inter classiarios triremium Catalonicarum primo juridicus, post relator in supremo Aragonum senatu, ipse dein ibidem senator constitutus, ac turbatis in Catalonia rebus anno 1640. miserabiliter inter perduellium manus dilaceratus. Hic de *syndicatu* ergo Cataloniæ optime commentatus est in libro hujus inscriptionis: *Speculum visitationis sæcularis omnium magistratuum, judicum, decurionum, aliorumque Reip. administratorum.* Barcinone 1627. in fol. Idem quoque fecit JO. GALLEGO, Catalanus, quem tamen jam supra inter Castellanos hujus materiæ auctores retulimus.

XLVI. Quod comitia seu *cortes* Catalanorum speciatim attinet, de aliis præter superius jam relatos auctores egit quoque HIER. PUJADES, celebris ille Catalanorum historicus. Barcinonensis fuit patria, & post exacta Ilerdæ juris studia, ibidem doctor anno 1591. creatus est, aliquot dein per annos comitatus Emporitani (*Ampuries*) assessor ordinarius fuit, & commissarius generalis. Hujus enim auctoris est opus illud, quod sub titulo: *Dis-*

*cur-*

*curso sobre la justa assistencia de los conselleres de Barcelona y syndicos de la generalidad de Cataluña*, prodiit Barcinone apud Hier. Margarit 1621. in 4 Hoc in opere auctor perquam multa notatu digna de principatus illius politico æque ac juridico regiminis statu egregie deducit.

XLVII. Circa idem versatur quoque argumentum BARN. SERRA, Catalanus, J.C. doctor & senator regiæ Barcinonensis curiæ in utilissimo libro hujus tituli: *Annotationes decisivæ, non minus utiles quam necessariæ ad caussam debatorum, quæ in curiis generalibus Cataloniæ inter brachia quandoque suscitari solent* (*debata* enim antiquo gentis hujus vocabulo controversiæ seu dissensiones ejusmodi appellantur) quibus quidem facile quisquam percipere poterit, quam perniciosus in his sit abusus. Opus hoc Philippo II. Regi inscriptum prodiit Barcinone 1563. in fol. teste [1] Antonio [2] Lipenioque.

XLVIII. In primis autem de comitiis patriis, varii generis scriptis ea illustrando, bene meritus est RAPH. VILOSA, Barcinonensis J.C. Salmanticæ operam juribus navavit, Mediolani munere quodam publico tyrocinium, ut [3] Antonius ait, gerendæ Reip. fecit. Accitus dein in patriam dicasterii Barcino-

no-

1 In *Biblioth. nov.* tom. 2. pag. 672. col. 1. med.
2 In *Biblioth. jurid.* pag. 60. col. 1. fin.
3 Tom. 2. *Biblioth. novæ* pag. 208. col. 2. med.

nonensis senator, eadem quoque dignitate in suprema Aragonensium rerum senatu Madriti mactatus; circa annum dein 1670. Mediolanum ad gerendum magni cancellarii munus evocatus. Summus hic meritis vir occasione horrendi parricidii Sardiniæ in prorege marchione de Camarasa perpetrati edidit *Dissertacion juridica y politica sobre si el que mata al lugarteniente general de S. M. de alguno de los reinos de la corona de Aragon, comete crimen de leſa magestad in primo capite.* Madriti apud Luc. Ant. Bedmar, 1670. in 4. Idem & scripsit tractatum: *An dominus Rex in Catalonia, qui juxta jura regni tenetur judicare per directum, potuerit civitatem Celsonæ sibi rebellem & armis sibi deditam privare civitatis titulo, & aliis privilegiis, ea non audita, nec citata*, quod inter MSta reponit [1] Antonius, sed Lipenius editum asserit [2] Madriti anno 167... in 4. Item: *De præcedentia in tribunali, an scilicet ea debeat regulari a die nominationis, an a die juramenti.* Item *Tractatum, in quo probatur non obstare regentibus Catalanis supremi concilii coronæ Aragonicæ constitutiones & capitula curiarum Cataloniæ, quo minus poſsint ac debeant habilitari in extractionibus deputatorum illius principatus.* Item: *An locum tenens generalis domini Regis in principatu Cataloniæ* pos-

1 Eodem tom. 2. pag. 668. col. 2.
2 In *Biblioth. jurid.* pag. 60. col. 2.

*possit votum suum præbere in causis civilibus, non solum, quando senatores sunt in paritate votorum, verum & quando sunt dispares*. Item: *Consultatio super præcedentia inter Cataloniæ senatum & cubicularios sereniſſimi domini Jo. ab Austria factam Barcinone die XXVII. Junii* 1654. Quin & contra Marti & Viladamor, cujus sub Pellicerio §. 43. memini, quædam elucubravit, quæ una cum reliquis typis parata se habere ipse auctor affirmavit per litteras Antonio nostro, ut hic ſatetur.

XLIX. Generatim materiam comitiorum, eademque celebrandi ritum ac solemnia pertractavit libro peculiari MICH. DE ZARROVIRA, Catalanus J. D. & civis, ut loqui amant, *honoratus* Barcinonensis, qui sermone vernaculo gentis Catalanæ composuit *Ceremonial de cortes*, quod editum non vidimus, sed solum ex Antonii fide, qui tamen ceu alium auctorem & diversum eum in *supplemento* iterato recensuit, [1] referimus.

Tandem & D. PHIL. VINYES, Catalanus, ac in supremo Aragoniæ concilio senator regius, varia circa comitia patriæ meditatus est, utpote: *Discurso sobre que los brazos juntos en cortes no pueden sin S. M. proveer los officios de la diputacion*: *Discursos sobre los procedimientos en la villa de Mataró*: item *Discursos sobre la celebracion*

1 Tom. 2. pag. 680. col. 1. med.

*cion de las cortes*, nondum absolutos, quos una cum reliquis in tumultibus Catalanicis periisse, jam laudatus [1] Raph. Vilosa Antonium nostrum edocuit.

L. Denique & triada sequentium Catalanorum coronidis loco adjici fas est. Franc. Soler, Catalanus, *Commentarium* edidit *ad edictum de monetarum reformatione in Catalonia*, Barcinone impressum 1611. Franciscus de Solsona, Angulariensis J. C. in patriis rebus, [2] Antonio teste, exercitatissimus, cum notariatus tantum exerceret artem, *Lucernam laudemiorum, omnia emphyteuseos jura complectentem* scripsit, Barcinone apud Jo. Gordiolam 1556. in fol. editam & Augustæ Taurinorum una cum aliis ejusdem argumenti auctoribus, Amadeo de Ponte, Antonio Fabro, Bertrando Argentræo, Camillo Borello, Car. Ant. Blancardo, Hartmanno Pistore, & Mario Burgo, apud heredes Tarini 1629. fol. recusam: item *de stilo capibreviandi*; quod Catalanis vernacula lingua emphyteusis renovationem significat, cum quodam utili *Clausularum*, sive de stilo clausularum tractatu, & aliis Catalanice scriptis. Barcinone 1561. in 8. [3] Antonio & [4] Verderio testibus. Denique & Ant.

1 Ibid. pag. 680. col. 2. med.
2 In *Biblioth. nov.* tom. 1. pag. 356. col. 1. fin.
3 Ibid. tom. 1. pag. 365. col. 2. princ.
4 In *Supplem. Biblioth. Generianæ* lit. *S.*

Ant. Roscius, seu, ut vulgari sonat idiomate, Ros, Perpinianensis, J. C. eximius, & ornamento aliarum disciplinarum liberaliter instructus, ut [1] Antonius loquitur, regius in curia principatus Cataloniæ senator, scripsit *Memorabilium libros III.* Barcinone apud Cl. Bornatium 1564. in 4. editos, qui egregia multa circa leges illius gentis exhibent. *De rebus forensibus* quoque in aliis tribus *Memorabilium* libris acturum se promiserat, qui tamen hucusque lucem publicam non aspexere.

# SECTIO X.

## *DE VALENTIAE, BALEARIDUMQUE REGNORUM LEGIBUS.*

I. POst Catalanos & reliquorum regnorum coronæ Aragonicæ leges ac jura recensenda veniunt. Ad Valentinos ergo convertimur, & quæ illis a Maurorum inde, qui illud regnum Gothorum eripuerant manibus, fuerint leges, quo fieri poterit compendio, perlustratum imus. Varias regnum hoc, ex nobilissimis Hispanicæ monarchiæ unum, vicissitudines est expertum. Primus, qui Mauris ipsum eripuit, Jacobus ille seu *Jaime I.* cognomento *Magnus* fuit, Rex Ara-

1 In *Biblioth. nov.* tom. 1. pag. 124. col. 2.

ragonum, qui illud anno post Christum MCCXXXIIX. recuperavit. Prolixi satis in describenda obsidione ac expugnatione metropolis hujus regni ejus sunt historici, unanimique affirmant sententia circa initium anni sequentis MCCXXXIX. eumdem Jacobum I. foros ac leges dictæ non modo urbi, sed & universo tulisse regno, idque in coacto ejus rei caussa solemni prælatorum magnatumque regni concilio, seriem catalogumque eorum, qui actui huic interfuere, ex Petro Ant. Beuter, ac Franc. Diago hic inferre placet.

II. Fuere autem sequentes. Ex clero:

*Don Petrus de Albalate*, archiepiscopus Tarraconensis.

*Don Berengarius de Palou*, episcopus Barcinonensis.

*Don Vitalis de Canellas*, episcopus Oscensis.

*Don Bernardus de Montagudo*, episcopus Cæsaraugustanus.

*Don Ponce*, episcopus Dertusanus.

*Don Garsias*, episcopus Tarraconensis, &

*Don Bernardus*, episcopus Vicensis.

Ex equestri ordine:

*Don Ramon* seu *Raimundus Folch de Carna*, vicecomes.

*Don Petrus de Moncada.*

*Don Guillen de Moncada.*

*Don Ramon Berenguel*, seu *Raimundus Berengarii.*

*Don Ramon de Peralta.*

Don

*Don Petrus Fernandez de Azagra*, dominus ab Albarriz.

*Don Petrus Cornel. Don Garsia Romeu. Don Ximeno de Urrea. Don Artal de Luna*, & *Don Ximen Perez*, seu *Simon Petri de Tarazona.*

Ex reliquis civilis ordinis numerantur.

*Ramon Perez de Lerida. Ramon Romeu. Petrus Sanz. Guillen de Belloc. Ramon Muñoz. Petrus de Balaguer. Andreas de Liñan. Hugo Martinus. Guillen Bou. Marimon de Plegamans*, & alii, quos enarrare supersedeo.

III. Notandum autem, præfatum gloriosissimum regem urbem regnumque Valentinum Catalanis Aragonibusque, quos secum in bellum contra Mauros, illius regni injustos possessores, adduxerat, incolendum habitandumque concessisse. Ex quo colligi haud difficulter potest, eos legibus moribusque patriis, id est Aragoniæ Cataloniæque assuetos a rege quoque facile impetrasse, ut novum illud jus atque statuta, quæ Rex cum concilio laturus erat, maximam partem ad Aragonicarum Catalanicarumque legum normam constituerentur. Maximam ergo juris Valentini portionem ex *Foris Usaticis*que memoratis conflatam nemo inficias facile ibit; nec id quoque diffitentur, tum proprii regni Valentini, puta [1] Pet. Ant. Beuter, Gas-

1 In principio tomi 2. *de la coronica general de España y Valencia.*

1 Gaspar Escolano, 2 Martinus de Viciana, 3 Franciscus Diago, tum Aragonensium historici, ut 4 Zurita & 5 Blancas, qui clare id & diserte præ reliquis affirmat, additque, magnates ex Aragonibus in concilio isto, ubi de legibus Valentinis rogandis actum est, instanter a Jaimo, ut juxta Aragoniæ foros Valentinis agere judicarique daretur, petiisse, eorumque in gratiam Regem id concessisse, in tantum ut urbes, oppida, villæque istius regni, quas ipse Aragonensibus pro præstita fortiter fideliterque in eripiendo Maurorum manibus Valentiæ regno opera concesserat, donaveratque, juxta Aragonicos etiam foros ac leges tractarentur, id quod in hodiernam usque diem illic obtinere Blancas asserit, ita ut etiamnum multæ in regno isto urbes ac oppida inveniantur, in quibus juri legibusque Aragonicis plenus vigor auctoritasque illibata permanet.

IV. Idem postea Jacobus I. Rex foros Valentinos a se noviter latos correxit & explicuit. Rei hujus occasionem hanc exhibet 6 Diago noster. Anno post Christum 1270.

Q gra-

1 In prima decade *de la historia de la ciudad y reyno de Valencia*, tom. 1.

2 Tom. 1. *de la corònica de la ciudad y reyno de Valencia*, ibid. 1564. fol.

3 *Annales de Valencia* lib. 7. cap. 8. p. 321. col. 1.

4 *Annales de Aragon* lib. 3. cap. 34. fol. 154. col. 4.

5 In *Commentariis rerum Aragonensium* pag. 161. edit. Cæsaraugust.

6 *Annales de Valencia* lib. 7. cap. 60. pag. 377. col. 4. fin.

graves exoriebantur lites inter prætorem urbanum Valentiæ, quem *Bayle* vocant, & nobilem quemdam Guilien Escrivan nomine, regium in expugnatione regni hujus secretarium, & dein *juratum*, ut vocant, istius metropolis; idque ob exercitium jurisdictionis, quam quisque eorum sibi arrogabat. Augebat metum periculorum, quæ inde Regi evenire poterant, præstans utriusque dignitas, & munerum, quæ gerebant, auctoritas, quæ in utriusque partes universam rapiebat urbem: quare Rex scintillas illius discordiæ suffocaturus utriusque muneris non solum fines & terminos juris dicundi discernebat, præscribebatque, sed & insimul universum jus & statuta Valentina reformabat corrigebatque, adjectis pluribus novis, antiquatis vero aliis legibus & foris, eos insimul taliter correctos auctosque perpetua legum vi & auctoritate roborabat, juris jurandi regii interpositis solemnibus, prout id ex sanctione illius pragmatica die XXI. mensis Martii anni 1270. erecta, & in archivi capituli cathedralis Valentini libro *de la bisbalia* reposita, & a Diago citata apparet.

V. Regnante postmodum Alfonso III. Aragonum Valentiæque Rege iterum nata lis est de foris legibusque Aragonicis etiam inter Valentinos observandis custodiendisque, id quod magnates ex Aragonibus (in primis famosæ illius, quæ eo tempore florebat, unionis membra) omni nisu a Rege expetebant, ut

ut qui peculiari olim diplomate id solemniter statuisset; ipsi autem in tantum id postea remisere, ut non per universum Valentiæ regnum, sed tantum apud illos nobiles, *ricoshombres*, *mesnaderos*, magistratusque jus Aragonicum obtineret, qui illud spontanee atque voluntarie reciperent, eo ordine constituto, quod nobiles, qui tum Cæsaraugutæ præsentes huic sanctioni intererant, ex nobilibus *infanzonibus*que, qui possessionibus in regno Valentiæ gaudebant, eligere quosdam oportebat, qui in quavis urbe aut oppido, ubi jus diceretur, assisterent cum justitia assessorum loco, & ut juxta foros Aragoniæ cuivis id petenti nobili civique jus diceretur, prospicerent, idque per integri anni decursum, quo exacto alii solemni ritu electi in illorum locum subrogabantur, postquam a Rege, aut ejus in hoc regno procuratore, Rege absente, confirmati in isto munere fuerant, eorumque culibet alius assessor a senatu urbis aut oppidi, ubi jus dicebatur, cooptatus adjungebatur; semperque ad nobilium beneplacitum concilium generale cogebatur in urbe Valentiæ, & in qualibet reliquarum illius regni, in quo omnes, qui ad legum fororumque Aragoniæ normam vivere cupiebant, solemni jurejurando iis astringere fidem tenebantur, eodem modo, quo *ricihomines* & *infanzones* hujus regni; ii autem, qui illas leges respuerent, in posterum eas acceptare amplius nequirent. Ut autem sciri posset, quæ urbes

vel oppida foros illos acceptare vellent, duo nobiles aut alii indigenæ regni ad illas mittebantur exploraturi singularum mentem, illi autem *ricihomines* Valentini, qui Cæsaraugustæ eo tempore morabantur, duos proponebant Regi nobiles, ex quibus hic unum constituebat universi regni Valentini summum justitiam (*justicia general*) qui processus appellatione ad se devolutos juxta Aragonum foros decideret.

VI. Facta igitur illa constitutione, plures statim urbes ac oppida foros Aragonios recepere; earum catalogum, prout a Rege Carolo I. in comitiis sub initium sui regni apud Aragones celebratis confici jussus est, hunc nobis exhibet maximus Zurita noster, ex quo & hæc omnia annotavimus. [1] In valle Chelvensi: *Chelva*, *Origilla*, *Domenjo*, *Aguillas*, *Tuexa*, *Beruxet*, *Sinarcas*: in baronia de Arenos: *Villahermosa*, *Puebla de Arenos*, *Zucaria*, *Ludient*, *Castrum de Villamalef*, *Torrechiva*, *Espadilia & Balat*: in baronia Exericensi. *Bivel*, oppidum *del Toro*, *Caudiel*, *Novalichas*, *Benafer*, *Pina*, *las Barracas*: item: Territorium Alcalatense cum oppidis & pagis, puta *Lucenæ*, *el Alcora*, *las Useras*, *Chodes*, *Figueruelas*, *las Torrecellas*, ut & oppidum *Almazora*, *la Puebla de Benaguazil*, & *Benaguazil*, cet. quæ omnia

1 *Anndles de Aragon* lib. 4. cap. 106. fol. 333. col. 2. & cap. 108. fol. 334. col. 2.

mnia prædicti adhuc Caroli I. tempore & huc usque foros Aragoniæ observant. Idem quoque jam sub Petro IV. Rege anno 1285. in comitiis in oppido *Zurita* celebratis statutum fuisse [1] Zurita nos edocet alibi, cum altera illic constitutio Alfonsina anno demum 1289. sancita fuerit.

VII. Ex eo inde tempore juri Aragonico maxima regni Valentini, præcipue autem ejus nobilium, pars paruit, licet multum ea de re & diu satis controversum inter utriusque regni proceres ac status fuerat; quin hodienum adhuc & Aragonicis & suis municipalibus foris legibusque parent, & caussæ eorum, cum via appellationum ad supremum tribunal devolutæ fuerint, in summo Aragonicarum rerum senatu, in quo ex Valentino regno par assidet senatorum, deciduntur, eodem, quo omnium reliquarum coronæ Aragonicæ provinciarum, modo. Sed de his jam superius sub sectione *de Aragonia* (ubi de supremo illo coronæ hujus senatu egimus prolixioribus verbis) quædam quoque monita fuere.

VIII. Hæc de origine statuve Valentiæ regni juris legumve paucis enarrasse sufficiat, reliquum ut & manuscriptos & impressos ejus codices, una cum commentatoribus ac fori ejus practicis, quorum tamen omnium curta solum est supellex, detegamus. *Corpus*



2 Ibidem lib. 4. cap. 54. fol. 281. col. 1. & 2.

*legum Valentini regni*, prout primum a Jacobo seu Jaimo Magno latum promulgatumve fuit, descriptum in libro membraneo C. tunc & ultra annorum in folio poſſedit Ant. Auguſtinus, Cl. Tarraconenſium archiepiſcopus, teſte catalogo M.SS. bibliothecæ ſuæ, in quo num. 444. inter Latina MSta hoc recenſetur titulo: *Jacobi I. Aragoniæ Regis conſuetudinum civitatis & regni Valentiæ libri IX.* ſermone priſco Valentino ſcripti. Memini etiam, me cum Pariſiorum in urbe (ne dicam orbe) ante aliquod degerem tempus, in regia inſtructiſſima bibliotheca humaniſſimi D. Clementis indultu codicem manibus tractaviſſe M. S qui leges Valentinas ac ſtatuta continebat, &, in fallor, in catalogo manuſcriptorum exſtabat num. 9997. hoc ſub titulo: *Pragmaticas del reyno de Valencia* in fol. ſcriptusque erat ſermone Caſtellano, ſeu *Romance*, ut vocant.

IX. Exemplaria quod attinet typis impreſſa, vetuſtiſſimum, quod nobis quidem videre contigit, eſt, quod auctore ſeu editore potius prodiit quodam Tarazona dicto, atque lingua vernacula huic regno ſcriptum eſt, ac prodiit Valentina in urbe anno 1580. in 4. hoc titulo: *Fueros de Valencia por Tarazona.* Exſtitit illud volumen, quod vidimus, in bibliotheca Didaci de Arce & Reinoſo, generalis per Hiſpaniam fidei inquiſitoris. Nova etiam fororum Valentinorum compilatio exſtat typis impreſſa, & prodiit

Va-

Valentiæ anno 1625. in fol. hoc titulo: *Recopilacion de las leyes y fueros de Valencia*, quam in eadem vidimus bibliotheca. Nec dubito, quin plures adhuc prodierint tales fororum hujus regni collectiones. Nos tamen nonnisi jam recensitas vidisse recordamur. *Repertorium* quoque in leges illas exstare novimus, quod in jam laudata bibliotheca Reinosiana habebatur, auctoremque præ se ferebat quemdam GINARTIUM nomine. Eumdem hunc esse cum JULIANO GINART Balearico, ord. Minor. monacho, quem Nic. Antonius recensuit in *Bibliotheca* sua, minime credo, quin longe ab eo diversum temporis, quo edita utriusque fuere opera, evincit ratio. Noster enim ille circa annum jam 1608. vixisse debet, eo enim prodiit sermone Valentino scriptum *Repertorio de los fueros de Valencia* impressum Valentiæ in 4.

X. Sed ad commentatores quoque legum Valentinarum properandum nobis est. Vetustissimus, cujus quidem memoriam aliquam habere nobis licuit, fori Valentini glossator est GEORGIUS JUFRE, quem Valentinum quoque ortu, Aragoniæque Regis Jaimi seu Jacobi II. cancellarium fuisse, ac glossas, quæ MStæ adhuc in scriniis asservantur, in leges patrias composuisse asserunt regni hujus historici, in primis, qui ulterius de eo consuli poterunt, [1] Gaspar Escola-



1 In decade I. *de la Historia de Valencia* lib. 5. cap. ult. §. 10.

lanus & ipse Valentinus patriæque pereximiæ laudis historicus, [1] Franc. Hier. de Leon, quem superius inter Aragonicos JCtos laudavimus, libro I. *Decisionum Aragoniæ*, [2] Nic. etiam Antonius in *Bibliotheca* sua *veteri*.

XI. Fama scriptis sibi vindicata illustribus Jufreum longe præivit, ætate tamen eumdem sequutus est PETRUS DE BELLUGA, quem *præclari juris interpretis*, aliisque pro merito elogiis mactat [3] Hier. Blancas: [4] Petro etiam Augustino Morlæ Valentino ipsi, & mox a nobis laudando, Bartholus aut Baldus Valentinorum appellari meritus est. Valentiæ natus fuit, ac sub Alfonso V. Aragonum Rege floruit. Post jacta in patria urbe litterarum fundamenta, Bononiam concessit, in Clementino illic Hispanorum collegio Jo. Imolæ & Lud. Pontani, inter suæ ætatis JCtos facile primorum, sedulus auditor; reversus inde in patriam, in familiam susceptus est Alfonsi Borgiæ, antistitis illo tempore Valentini, & ad sedem postea Pontificiam evecti, Calixti III. assumto nomine. Huic apprime carus noster fuit. Accidit tamen aliquo dein tempore, ut pertinaciter obstinateque nimis in comitiis Aragonicis ordinum patrii regni jura & privilegia tue-

1 *Decisione* 4. libri 1.
2 Lib. 9. cap. 4. §. 209. pag. 99. col. 2.
3 In *Comment. rerum Aragonens.* pag. 386. in fin. & alibi.
4 In præfat. *Emporii juris*.

tueretur, quam ob rem Joannis Navarræ Regis, qui absentis Aragonum Regis Alfonsi fratris sui vices supplebat in regni gerendis negotiis, comitiisque illis dirigendis, odium incurrit, ab eoque in carcerem conjectus, detentusque in eo aliquamdiu fuit, tandemque regno pulsus, actusque in exsilium, Almanzam Castellæ oppidum concessit, in eoque tamdiu delituit, usque dum Neapolim una cum Borgia profectus, caussam suam constanter dein eruditeque propugnatam Alfonso sapientissimo & moderatissimo principi approbaret, cum eoque rediret in gratiam. Prolixius hæc omnia de nostro edisserit [1] Nic. Antonius, ex patriis pro BELLUGA historicorum testimoniis, ex ejusque hæc retulimus fide, Blancam qui multa de notro habet, conferentes.

XII. Operum, quæ posteritati BELLUGA noster reliquit, primum præcipuumque est *Speculum principum*; hoc enim titulo exornatum illud ab ipso Rege Alfonso fuerat, cum illi auctor istud obtulisset. Liber hic politica æque ac juridica negotia pertractat non solum generatim universi terrarum orbis Regum atque principum, sed singulatim quoque versatur circa jura, officia, dignitates atque privilegia omnis generis statuum regnorum coronæ Aragonicæ. Primam illud opus lucem aspexit Parisiis editum anno 1530. in fol.

Idem

1 In *Biblioth. Hisp. vet.* lib. 10. cap. 9. §. 476.

Idem postea ab J. C. Camillo Borello, Olivetano patria, & senatore Neapolitano eruditissimo additionibus variis locupletatum recusum est Neapoli æque ac Venetiis apud Jac. Aniellum 1580. in fol. Tandem & Ant. de Fuertes & Biota, ex oppido Aragonum Uncastillo oriundus, Calabriæ ulterioris post administratam Bononiæ in Hispanorum collegio unam alteramve juris canonici cathedram, regiæ curiæ auditor, & caussarum criminalium judex Neapoli in magnæ vicariæ curia, delegatus dein militaris in Belgio sub marchionis Castelli Roderici præfectura, quæstorque demum Mediolanensis ordinarii magistratus, vir multis in lucem editis libris præclari nominis quoque, *Additiones*, ut titulus habet, *aureas ad* BELLUGAE hoc *speculum* adjecit, quæ tamen breviores sunt. Totum opus prodiit Bruxellis & Antuerpiæ apud Franc. Bibienum 1655. fol. sub hoc titulo: *Speculum principum, in quo universa Imperatorum, Regum Principumque, ac rerumpublicarum, civitatum, subditorumque, comitum, baronum, nobilium ac civium jura, officia, dignitates & mores, præsertim regni Aragoniæ varie ac dilucide tractantur.* Aliud quoque opus scripsisse BELLUGA noster perhibetur, cui titulum fecit: *Singularia juris*, ejusque ipse sæpius in *Speculo* fecit mentionem: dolendum autem merito, ipsum lucem publicam adhuc dum fugere.

XIII. Ex recentioribus pauci itidem sunt,

qui

qui vel in foros legesve Valentinas commentati fuerunt, vel de statu hujus regni juridico tractaverunt. Ex prioribus nominamus THO. CERDAN DE TALLADA, J. C. æque ac politicum inter suos haud ignobilem. Sætabensis is, seu ex *Xativa* urbe ortum duxit, genere prognatus nobili, J. D. ac caussarum primo Valentiæ patronus, dein fisci ejusdem urbis & regni advocatus regius, tandemque senator. Varii generis hujus scripta circa negotia patriæ regiminis ac jurium exstant, utpote de examine criminalium & captivorum, quod lingua Castellana edidit tali titulo: *Visita de carcel y de los presos*, Valentiæ apud Petr. de Huete 1574. in 4. item: *Verdadero gobierno de la monarquia de España, tomando por su proprio sujeto la conservacion de la paz.* Quo in libro de varia Hispaniarum regna gubernandi arte temporibus pacis edisserit. Ibidem apud viduam Huetii 1585. in 8. Item: *Veriloquium en reglas de estado segun derecho divino, natural, canonico y civil*, cet. Ibidem 1604. in 4. quod tamen idem cum priori, recoctum autem, facile crediderim. Sed præcipuum opus, cujusque gratia locum inter Valentinarum legum glossatores commeruit, sunt in aliquot Valentiæ foros commentaria, quæ ei tribuit [1] Petr. Ant. Morla mox laudandus: quod tamen opus typis hucusque, id quod do-

1 In præf. *Emporii Juris.*

dolendum, non prodiit, sed M.S. adhuc in scriniis latet; quin & aliud adhuc juridici argumenti opus scripsit, quod sub *Arboris jurisdictionum* titulo laudant JCti Valentini, [1] Nic. Antonio, cujus fide hæc damus, teste.

XIV. Post Cerdanum idem tentavit circa Valentinas leges & foros magno ac solido eruditoque opere D. LAUR. MATHEU ET SANZ. Valentinus is fuit ortu, eques ord. S. Mariæ de Montesa, & post obita varia civilia ac juridica in rep. munera, diversosque togati exercitii gradus, judex audientiæ seu prætorii urbis Valentiæ, quod anno 1506. erectum a Ferdinando V. Catholico Hispaniarum Rege fuit, in curia civilium caussarum, indeque in supremo, qui Madriti residet, Aragonensi senatu consiliarius. Adquisitam multo studio & improbo labore haud vulgarem juris, maxime municipalis, cognitionem prodidit eximio illo opere, quod inscripsit: *Tractatum de regimine urbis ac regni Valentiæ, seu selectarum interpretationum ad principaliores foros ejusdem*, & typis Valentinis apud Bern. Nogues excudi fecit anno 1654. & 1656. in fol. II. voll. Alia adhuc scripsit opuscula, quæ tamen, quod hujus fori non sunt, consulto hic omittuntur; conferri tamen de iis [2] Nic. Antonius poterit.

XV. Par nunc addemus auctorum, qui De-

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 2. pag. 242. col. 1. med.
2 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 2. pag. 4. col. 1. fin.

*Decisiones* Valentinas in lucem emisere, quorumve uterque jam supra in foro Aragonico laudatus a nobis fuit. Prior est FRANC HIER. DE LEON, Valentinus domo, qui præter *Decisiones supremi Aragonicarum rerum senatus* olim laudatas, etiam *Decisiones sacræ audientiæ Valentiæ* II. tomis imprimi curavit. Prior Madritensibus prodiit typis apud Tho. Juntam anno 1620. in fol. posterior Oriolæ apud August. Martinez anno 1625. in fol. Alter est non minoris famæ J. C. nec etiam absque debita laude inter Aragones a nobis jam recensitus, CHRISTOPH. nempe CRESPI DE VALDAURA, qui *Decisionibus* suis *Aragonicis* non paucas interspersit addiditque *Valentinas*, ut jam superius quoque monitum a nobis fuit.

XVI. Quin & ultimo tandem loco par aliud subjungimus auctorum, qui fori Valentini praxin speciatim edocendam sibi sumsere. Alter eorum est celebris ille, & aliquoties jam citatus J. C. Valentinus, Petrus AUG. MORLA; curiæ regni Valentini advocatus. Hic exacto vix studiorum Salmanticæ cursu, completoque nondum tricesimo ætatis anno utilissimum practicis opus in publicum emisit hoc titulo: *Emporium utriusque juris quæstionum in usu forensi admodum frequentium*; non autem hujus operis nisi prima pars Valentiæ lucem aspexit anno 1599. in fol. licet auctor reliquarum quatuor spem orbi erudito fecerat. Non possumus, quin inu-

inuſtam huic auctori a [1] Nic. Antonio plagii notam detegamus; ita autem ille: *Antecessorum, quos Salmanticæ* MORLA *docentes audiverat, puta Did. Espinum, Ignat. Salcedum, & alios, scrinia expilasse, alienisque opibus* Emporium *illud ditasse, constans fama est; nec dissimulat ejus quondam præceptor* [2] *Felicianus de Solis, plura esse in eo libro affirmans, ex præceptoribus translata fideliter, uti ex Gabr. Enriquez, primario legum interprete, aliisque; alioqui* MORLAE *curam in studiis, profectumque non vulgarem, Compluti dum versarentur biennii tempore, quo loco Felicianus ipse docebat, ingenue consignans*, cet.

XVII. Alter eorum, qui praxin fori Valentini elucidare ſcriptis conatus eſt, PETRUS eſt DE SIRIA Valentiæ natus, jurium Lic. & patria in urbe cauſſarum patronus. Hic enim in uſum ſori illius ádvocatorum æque ac jus dicentium *Practicam quæstionum forensium* typis edi curavit Valentinis anno 1603. in 4. Nullam, quod miror, operis, auctoris tamen mentionem ſecit *Bibliotheca* [3] Nic. Antonii, quæ aliud ejuſdem opus exhibet nauticum, quo de infra, ubi ad leges maritimas cum Deo ventum erit, diſſerendum

[1] *Biblioth. Hispanæ novæ* tom. 2. pag. 137. col. 1. & 2.

[2] In lib. 3. de *Censibus* cap. 5. num. 23.

[3] Tomo 2. pag. 193. col. 2. med.

dum nobis. Et hæc, cum reliqua, quæ de Valentinis foro & legibus enarrari merentur, nos fugiant, edisseruisse hic sufficiat; quare pedem nunc ad alia promovemus.

XVIII. Animus itaque nunc fert, in vicinum transfretare BALEARIDUM regnum, & quæ ibi legum statutorumve facies sit, qui ordo, qua possumus & brevitate & ἀκριβείᾳ perlustrare. Presserat & hoc insulare regnum sat longa annorum serie infelix Maurorum Arabumve jugum reliquæ ad instar Hispaniæ, cum primus de eo recuperando ac in libertatem vindicando cogitaret maximus gestarum rerum gloria Barcinonensium comes, Raimundus ille Berengarius. Forti ergo animo tantæ molis aggressus opus, non destitit ausis, donec adjutus Ligusticæ Pisanæque, præpotentium illo ævo ad mare mediterraneum rerumplicarum, auxiliis, coepta faustis avibus perfecisset, cum annus laberetur post Christum M. CXV. Nec tamen (qua sequentis ævi injuria, me latet) penitus eo ejicere regno Mauros licuit, quin post Berengarium in infelix illud Maurorum jugum Majorica recidit, nec eripi iis, nisi Jaimi I. & maximi Aragonum Regis felicibus, assuetisque vincere armis poterat. Anno ergo M. CCXXX. magnus hic *Conquistador* secunda vice Mauris ereptum in plenam libertatem vindicavit regnum hocce, quod & ex illo inde tempore Aragonum semper imperio paruit

XIX. Cum imperio ergo Aragoniæ & ejus

ejus apud Balearicos valuere leges. Equidem notandum, non statim a Jacobo I. unitum Aragoniæ regnum illud, sed secundo genito filio, itidem Jaime dicto, concessum anno 1276. fuisse, qui illud anno 1302. minori natu filiorum suorum Sanctio contulit (major enim Philippus ordinem clericorum assumsit) & ἄγαμος ubi obiit Sanctius, ejus ex fratre Ferdinando nepos Jacobus III. Rex evasit anno 1325. qui Constantiam Petri IV. Aragonum Regis sororem duxit, ab eodemque affine suo regno exutus est, & cum recuperandi illud gratia in Majoricam duceret, ibidem anno 1349. obiit. Tum ergo demum Petrus iste IV. in perpetuum regium hoc diadema coronæ Aragonicæ innexuit, ut Aragonici æque ac generales Hispanicæ historiæ auctores id prolixe annotarunt. Magnus autem [1] Zurita noster id quoque speciatim annotatum reliquit, Reges istos Balearicos Usaticis constitutionibus sive Catalanorum a Jaimi inde primi adquirentis temporibus usos fuisse; Regemque jam memoratum Petrum IV. iisdem non Usaticos solum illos, sed & quæcumque privilegia & immunitates a Jaimo inde I. ipsis fuerant concessa, confirmasse.

XX. Ad Petri ergo IV. tempora usque Balearidum regnum non alias ac Catalanas Aragonicasque leges ac statuta fuit sequutum, si

1 *Annales de Aragon* lib. 7. cap. 65. fol. 156. col. 4. seqq.

si pauca quædam excipias, quæ speciatim a Regibus illic constituta ordinataque fuere; quæ autem iis posteriori tempore & in hanc usque ætatem accessere, noviterque lata ac sancita apud Balearicos fuere jura legesve, ea peculiari volumine complexus est regius illius regni senatus: quod quoniam ex Hispania allatum ad manus nobis est, ejus hic brevem dabimus σκιαγραφίαν. Titulus, quem in fronte gerit liber, hic est lingua expressus *Mallorquina*, quæ alio nomine *lengua Franca* audit, & parum a Catalana distat: *Ordinacions y summari dels privilegis, consuetuts, y bons usos del regne de Mallorca*, quem librum juratorum seu senatorum regni jussu compilavit ANTONIUS MOLL, notarius, syndicus, & archivarius perpetuus universitatis hujus regni, prodiitque in urbe Majorica seu *Mallorca* in ædibus Petri Guasp anno 1663. in fol. constatque 422. paginis.

XXI. Complectitur autem volumen hocce sequentia:

I. Novas ordinationes editas in Majoracis per magnificos juratos regni super tractandis caussis & litibus, die XX. Decembris anno 1413. gubernante multum magnifico viro Pelagio Uniz, milite strenuo, a quo etiamnum audiunt *Ordinacions de Mossen Pelay Uniz.* Hæ Latino scriptæ sunt sermone, continentque capita LXXIII.

II. Ordinationes novæ factæ per honorabiles juratos civitatis & regni Majoricarum su-

per abbreviatione litium & quæstionum concessæ, laudatæ & auctorisatæ per dominum & serenissimum Regem Alfonsum V. honorabilibus ambassiatoribus dicti Regni anno Domini 1449. die 15. Junii in urbe Sicula Cajeta, capitum XVII. lingua Mallorquina, & audiunt vulgo *Ordinacions de Mossen Berenguer Uniz.*

III. *Capitols anomenats de Mossen Berenguer Uniz*, seu novæ ordinationes editæ in Majoricis per eosdem juratos, & autosatæ per eumdem Regem anno 1439. die 29. Maji. Lingua Majoricana, & ad finem cujusque capitis (quorum XVIII.) Latina.

IV. *Execucions dels capitols de las novelles ordinacions vulgo anomenats de Mossen Berenguer Uniz*, quæ est approbatio capitulorum quorumdam (nu. XIV.) ab ambassiatoribus Majoricanis, Berengario Uniz, Francisco Axalo, & Antonio Olives præfato Regi Alfonso propositorum, Cajetæ mense Junio 1439. facta.

V. *Correccions fetes sobre les demunt dites novas ordinacions e capitols de aquelles, vulgo dites de Mossen Berenguer Uniz.* Continent correctiones seu immutationes supra memoratarum ordinationum & capitulorum Berengarii Uniz, factas per eumdem senatum Majoricensem die 19. Octobris 1441.

XXII.

VI. Capitula vulgo dicta de *Misser Rodri-*

*dri-*

*drigo Falco proregis Majoricæ donants forma e manera als portators de lletres e commissaris*, seu constitutiones de officio tabellionum commissariorumque seu negotiorum gestorum, & illud rite juxta leges administrandi ratione, data die 10. Decembris 1440. XII. capitum.

VII. *Capitols de exaviments e de vendes a temps, fets per Mossen Vidal Castilla Doris de Blanes governador de Mallorca*, seu capitula circa venditionem variarum mercium, magnariam (seu *en gros*, ut Galli vocant) & minutariam (*en detail*) data Majoricæ diæ 24. Martii 1471.

VIII. *Stili sive ritus curiarum de Mossen Aril*, seu domini Arnaldi de Arillo, gubernatoris generalis ac proregis regni Balearidum, stili curiarum civitatis Majoricensis, Latino maxima ex parte sermone conscripti, publicatique die 3. Kal. Aug. 1344.

IX. *Pragmatica sanctio institutionis regiæ audientiæ in Balearidum regno a Philippo II.* Hispaniarum Rege lata, signataque die 11. Maii anno M. D. LXXVI. (vel, ut paulo post habetur, & melius, M. D. LXXI.) in arce *Aranjuez*, Latino idiomate expressa, formam supremi illius senatus, modumque litigandi coram illo, judicandive proponens, subjecta.

X. *Regiæ audientiæ declaratio dubiorum pramaticæ hujus sanctionis*, ab eodem Rege si-

signata ibidem die 25. Aprilis 1572.

XI. *Crida real sobre les noves ordinacions, que se han de tenir y observar en la real audiencia de dit regne de Mallorca*, sive proclamatio seu promulgatio solemnis novarum jam recensitarum ordinationum, quæ a regia audientia custodiendæ sunt lingua Majoricensi, Majoricæ 6. Octobr. 1576.

XXIII.

XII. *Noves ordinacions, lleys, stils y practica*, cet. seu practicæ forensesque ordinationes stilique tam caussarum, quæ coram audientia seu rota regia Majoricensi tractantur, processum, modumque agendi, quam supplicum libellorum, scripturarum, cedularum, decretorumque varii generis schemata exhibentes, prout ad administrationem expeditionemque justitiæ convenit, ordinatæ per magnificum dominum Bernat Joannem Poll, regentem cancellariam, & jussu Michaelis de Moncada proregis Balearici promulgatæ die 6. Octobris 1576. & Latina passim & Majoricensi lingua. Accedunt

XIII. *Pragmaticæ regiæ de forma regiminis deficiente prorege, vel absente eo in regno hoc, & justitiæ administratione tenenda*, lingua Castellana utraque, & a Philippo III. lata, prior die 3. Septembris 1606. in monasterio S. Laurentii Escurialis: posterior ibidem die 20. Oct. 1608. Tandem.

XIV.

XIV. Subjungitur coronidis loco: *Sumari o repertori de les franquezes y privilegis del regne de Mallorca*, seu repertorium ac epitome libertatum, privilegiorumque regni Balearici, sub titulos alphabeti ordine digestos redactum, collectumque per magnificum dominum Theseum Valenti, domicellum, regnique advocatum, a quo vulgo *la Valentina* audit. Annexa eidem est *Series*, seu potius *Calendarium festorum feriatorumque dierum, qui Majoricis observantur*, noviter recognitum emendatumque. *Taxa* item seu *æstimatio pretii pro varii generis contractibus notariis scribisque solvendi.*

XXIV. Hæc sunt, quæ volumine illo legum seu ordinationum Majoricensium continentur, quæ eo uberius prolixiusque recensere placuit, quod perpauca præter illud typis impressa legum ejus regni systemata haberi possint; nec & auctorum numerus est, qui de statu juridico politicove ejusdem illustrando fuere solliciti; quin & nobis plane neminem, præter jam laudandum, historicorum ejus gentis videre vel invenire licuit. Est is Jo. Dameto, Majoricensis, jurium doctor & regni sui chronographus, quem, quod diligenter scripserit annales suæ gentis, laudat [1] Antonius. Prodiit autem ejus opus hoc titulo: *Historia general del reino Balea-*



1 In *Biblioth. nov.* tom. 1. fol. 519. col. 2. princ.

*rico*, Majoricæ apud Gasp. Guasp, 1633. in fol. pertingitque illud non nisi ad mortem usque Jacobi II. Majoricarum Regis, annumque 1311. reliqua enim desiderantur. Ejus tamen vices digne supplevit Vincentius Mut, Balearicus nobilis, & primus in patria aciei instructor (*sargento mayor* vocant) in altera parte ejusdem annalium, quos hoc titulo ornavit: *Segunda parte de la historia del reino Balearico*, ab anno 1311. usque 1650. quo prodiit Majoricæ apud Gabrielem Guasp in fol.

Et hæc sunt, quæ de Balearicis legibus investigare omni nisu nobis licuit.

# SECTIO XI.

## *DE NAVARRAE, CANTABRIAE,*

## *Gallaeciaeque legibus.*

I. Quare Balearidum valedicturi insulis, Hispaniam repetimus, telamque legum ejus regnorum pertexere laboramus. Proximum Aragoniæ adjacet Navarræ regnum, quod etsi non semper Hispanis paruit, sed Gallorum quandoque supremo subjacuit dominio, partem tamen Hispaniæ, si lato hanc sumas sensu, constituit, ideoque & semper eorum (Pampilo in primis metropolis, & superior regni pars) lingua usa, & ab historicis etiam domesticis ju-

jure inter Hispanicæ monarchiæ regna, eorumque relata numerum fuit. Quin & quod leges speciatim & statuta ejus attinet, illa non nisi antiquis illis Suprarbiæ Regibus & foro originem acceptam ferre suam possunt. Haud immemor enim sum, me, cum superius de Aragoniæ legum ortu facerem verba, gravem illam, quæ Navarricos inter Aragocosque hodienum hæret controversia de antiquitate illius fori, veroque, quo latum fuerat, tempore, disseruisse.

II. Rem istam tunc ex historicorum, qui Aragonum tuentur partes, mente deduxeram; æquum ergo est, ut & ex Navarricorum nunc opinione loquar. Aptius autem ordinateque magis id, quam Jos. Moreti, historicorum hujus regni novissimi & facile principis, verbis eloqui ac edisserere nescio. Is enim in omnibus, quæ de historia patriæ erat meditatus, id summo studio, summa ope egisse visus est, ut Blancæ, Britii, reliquorumve pro Aragonibus argumenta everteret; egoque immane quantum a scopo recederem, nimiæque prolixitatis incurrerem notam, si omnia, quæ eum in finem coacervavit congessitque, explicare hic conarer; quare illud optimum duco factuque consultissimum, ex ejus [1] *Investigationum historicarum Navarricarum* egregio opere depromere quæ scitu necessaria



1 *Investigaciones historicas de las antiguedades de Navarra* lib. 2. cap. 11. §. 2. 3. & 4. fol. 506. 507. 508. cet.

ria esse, nobisque & nostro conducere argumento deprehendero, & qua ratione jus Navarræ regni generale ex particularibus urbium oppidorumque ejusdem foris ac statutis municipalibus conflatum fuerit, creveritque, ac augmenta ceperit, breviter elucidare.

III. Annus a nato Christo agebatur M. LXXVI. cum vitam a parricida fratre Raimundo trucidatus infausta finiret morte fortissimus Sanctius Garsias, ejus nominis IV. Pampilonensis (quod idem est, ac si dicas Navarræ) Rex, nulla ex se relicta prole. Regni ergo proceres Sanctium Ramiresium, occisi patruelem, Aragoniæque Regem, in Vasconum seu Navarrense evocavere regnum, quo casu secundum jam laudatum Moretum Navarricæ Aragonicæque coronarum unio accidit. Hic ergo non Suprarbiense solum, sed Jaccense & Darocense forum municipalesve leges secum in Navarram detulit, & non quidem ut commune universo regno præscriptum constitutumve jus, sed ex speciali tantummodo indultu ac gratia in aliquibus oppidis locisque Navarræ introduxit; quin idem quoque in Castellæ regno (nam & huic, connubio cum Urraca Regina ejus contracto, præfuit) effecit, cujus pluribus oppidis leges & fora Aragonica concessit; & hæc caussa est, quæ Alfonsum II. *Præliatorem* cognomento (*el Batallador*) Sanctii Ramiresii filium, Petrique, cui successit, fratrem moverat, ut in sanctione pragma-

gmatica in confirmationem Jaccenſium legum lata aſſereret, Caſtellæ æque ac Navarræ regnum Jaccam ad ediſcendas bonas leges conſuetudineſque venire ſolitum.

IV. Eadem quoque ratione factum eſt deinceps tempore, ut Alfonſus iſte Præliator Burgo ſancti Saturnini Pampilonenſis noviter reparato, civibuſque ac incolis donato, forum Jaccenſe irrogaret anno 1129. Oppido item Caſedæ forum Darocenſe & Sorianum, urbi Tutelenſi forum Suprarbiæ anno 1114. oppido Corellæ forum Tutelenſe anno 1130. In primis autem celebre illo ævo erat forum Francorum ſancti Martini Eſtellenſis oppidi, cui idem Alfonſus Rex oppidum *Puente de la Reina* dictum anno 1122. ſubjecit. Verba, quæ in ſanctione regia eum in finem lata habentur, hæc ſunt; *Habeatis tales foros, & tales uſaticos & conſuetudines in totas veſtras cauſſas & veſtras faciendas* (id eſt, negotiis, ſeu, ut Galli dicunt, *affaires*) *quales habent barones de Eſtella.* Eodem foro Stellenſi donavit Garſias Ramireſius nepos Sanctii Majoris, qui Alfonſo II. Præliatori in regno ſucceſſerat, cum jam Navarra ab Aragonia iterum disjuncta eſſet, oppidum Olite anno 1147. & oppidum Monreal anno 1149. his verbis: *Dono vobis forum talem, qualem habent illos meos Francos de Stella.*

V. Nec id eo ſolum ævo obſervatum fuiſſe reperitur, quin & poſteriori tempore idem mos, eadem viguit obſervantia. Legimus

mus enim apud eumdem Moretum, Sanctium VII. Sapientem cognominatum, Navarræ Regem, eodem, quo cives sancti Saturnini Pampilonenses utebantur, foro donasse quoque oppidum Irriberi anno 1174. his verbis: *Habeatis tales foros in omnibus vestris negotiis & judiciis, quales habent mei Franqui de Pampilona, qui in illo Burgo veteri sancti Saturnini sunt populati.* Et ex his haud inepte deducit optimus noster Moretus, peculiare diversumque a reliquis omnibus forum seu jus municipale eo jam tempore habuisse Burgum istud sancti Saturnini Pampilone; nam eidem foro Pampilonensi idem Sanctius Rex paulo post, anno nimirum 1191. subjecit oppidum Villafrancæ, ut nunc audit, vel, ut illo vocabatur tempore, *Alesues*, nec minus & peculiari oportet foro fuisse gavisum Burgum novum sancti Nicolai Pampilonense, nam idem Sanctius Rex anno 1184. eo donavit oppidum Villabæ.

VI. Nec minoris famæ illo ævo erat *Forum Guardiense* a Guardia Navarræ urbe cognomentum sortitum, quod Rex Sanctius Sapiens anno 1165. oppido isti contulit: idemque postea anno 1172. concessit oppido sancti Vincentii, & anno 1196. oppido Labrazæ, & anno 1208. Valli de Burunda, a filio ejusdem Sanctio IIX. Rege fuit collatum. Idem quoque Sanctius Rex peculiare etiam urbi Vianæ forum constituit, cui Theobaldus dein II. Rex subjecit oppidum Aquilar an-

anno 1269. Quin & quandoque libera civibus incolisque locorum eligendi, quocumque uti foro vellent, potestas a Regibus fuit concessa, prout inter alia permulta, quæ ea de re citantur exempla, constat ex Garsiæ Ramirez Regis diplomate, oppidi Peraltæ incolis circa fori irrogationem concesso, ubi hæc exprimuntur verba: *Insuper dono vobis illo foro, qualecumque vos volueritis & elegeritis, & scripseritis in vestra charta.* Sed innumeri fere sunt tales antiqui populorum incolarumve Navarræ regni fori adeo ut, si omnes & singulos eorum recensere hic vellemus, tædium haud exiguum lectori essemus parituri: quare silentio eos præterire præstat, eosque, qui reliquos noscendi cupidine tenentur, ad Theobaldi I. *chartularium*, & *magnorum chartulariorum*, seu *codicum diplomaticorum* Navarræ Regum tomos, qui talibus foris scatent, cum Moreto ablegamus; qui tamen id speciatim notatu dignum observavit, nullibi in oppido locove quocumque Navarræ jus vel Suprarbicum vel Jaccense, vel aliud quodcumque Aragonicum ante unitam per Sanctium Ramirez Regem, Aragoniæ Navarram receptum observatumve fuisse.

VII. Sed ut in orbitam tandem revertamur, explicandum nunc paucis est, unde generales regni Navarræ leges ac statuta ortum fontesque suos derivarint. Ex illis ergo supra recensitis peculiaribus urbium oppidorumque foris ac statutis tandem Theobaldi I.

Re-

Regis jussu & auspiciis, ut Moreto quidem videtur, generale jus seu corpus legum systematicum, quod hodienum in hoc regno usu & auctoritate viget, erectum compositumque fuisse creditur. Hic enim Theobaldus Rex noviter creatus, postquam leges & privilegia regni, quæ dispersa confusaque adhuc jacebant, solemni ritu jurisjurandi more majorum confirmasset, ipso conversionis S. Pauli festo anno 1237. transactionem cum regni statibus pepigit, quæ hodienum in chartulario magno asservatur M. S. & in qua inter alia hæc sermone gentis & temporis illius vernaculo habentur verba: *Que sean esleitos diez ricoshombres y veint cavalleros, diez hombres de ordenes, & nos & el obispo de Pamplona de suso con nuestro conseillo, por meter en escrito aquellos fueros, que son & deben ser entre nos e illos, amellorando los de la una part & de la otra, como nos con el obispo & aquestos esleitos vieremos por bien*: id est: eligendos esse decem ex ricishominibus seu magnatibus regni, viginti equestris ordinis viros, decem ex clericorum ordine, qui cum Rege, episcopo Pampilonensi, regioque senatu in scripturam redigant foros illos, qui inter Regem subjectosque constituendi essent, eos hinc inde corrigendo, prout Regi, episcopo, electisque illis viris optimum consultissimumque videretur. Et hæc collectionis legum Navarricarum, prout a Moreto exhibetur, historia est.

VIII.

VIII. Floruere autem apud Navarros leges illo volumine contentæ perpetua temporis, nec numquam interrupta serie, singulisque vicibus, antequam regia dignitate quis solemniter inaugurraretur, una cum reliquis regni hujus privilegiis ac libertatibus jurejurando confirmata fuere. Cum & Ferdinandi dein Catholici in potestatem Navarræ regnum cederet anno 1512. & triennio post 1515. Castellæ, Aragoniæ, Granatæque regnis perpetuo nexu jungeretur, leges illæ sartæ, tectæ ac integræ perstiterunt, & hodienum pleno vigore auctoritateque gaudent. Constitutum tamen est, deficientibus his ad leges Hispanicas Romanasque esse recurrendum, prout uno id ore omnes & Navarræ & Hispaniæ JCti affirmant, qua de re consuli possunt, si placet, Jo. Martinez de Olano in erudito 1 *Antinomiarum juris Romani & Hispanici* opere, 2 *recopilacion de las leyes de Navarra*, 3 Armendariz, 4 Duckius, aliique.

IX. Systemata legum Navarricarum typis impressa perpauca, glossatores commentatoresque in easdem fere nulli; minimum nobis præter mox laudandos neminem hujus ar-

1 In præfatione num. 8. & 9.

2 Lib. 1. tit. 3. lege 4.

3 In additionibus ad lib. 1. tit. 3. l. 4. *Recopilationis.*

4 *De usu & auctoritate juris civ. Romani* lib. 2. cap. 6. §. 21.

argumenti daduchum cernere licuit. Nec aliud corpus vidimus harum legum ac illud, quod anno 1614. Pampilone prodiit in fol. hoc titulo: *Recopilacion de las leyes de Navarra.* Commentarium quoque Latinum additionesque ad eamdem compilationem exstare cujusdam ARMENDARIZ Pampilone anno 1617. in fol. editas cernere alibi licuit. Quis autem ARMENDARIZ ille fuerit, quale ejus prænomen, quod vitæ genus, nec Antonius ullibi in *Bibliotheca*, nec alii bibliographi meminere, & ego cum ignarissimis scio. Memini etiam, me olim vidisse Madriti volumen *Ordinationum Navarræ* impressum anno 1563. in fol. hoc titulo: *Ordenanzas de Navarra por Estella*; qualis autem liber, quis auctor proprie ejus sit, me quoque protenus latet. Fateor equidem, mirum non esse, quod hæc omnia homines Hispanos, quibus uti potissimum me in hoc argumento oportuit, eorumque subsidiis, lateant, cum regnum istud nova reputetur Hispanicæ monarchiæ accessio, Gallisque potius ac Hispanis annumerandum videatur; attamen nec apud Gallos quidquam ea de re invenire mihi licuit. Veniam ergo defectus hac in parte mei sperare audeo.

X. Quare, relicta Navarra, ad finitimas contendimus Biscajæ & Guipuscoæ provincias, quæ maximam efficiunt Cantabriæ veteris partem. Vulgata res est gentem hanc libertati, si quæ alia Hispaniæ, assuetam vel

ma-

maxime esse, ferocem item fortemque, nec subjugatu plane, dominioque absoluto subjectu facilem. Quare & mitius ac reliquæ omnes a Regibus tractari, nec dimidium tributorum, quæ Castellæ utriusque incolæ solvunt, imponi sibi patiuntur; tantam etiam jactant generis nobilitatem, ut se solos ex omnibus Hispanis superesse Gothorum regio ortos sanguine, nulla umquam Maurorum Judæorumve fedatos mixtione. Quod ergo leges & statuta, seu, ut ipsi loqui amant, foros & privilegia eorum attinet, eos primum Gothicis semper legibus obnoxios vixisse dubium non est, nec aliis successu temporis & sub Castellæ Regibus, ac iisdem & Castellæ juribus aliqua ex parte paruisse suspicamur, nullas tamen ante Caroli V. Imperatoris tempora reperire mihi licuit leges scripto traditas, aut typis impressas, quæ aliæ ac generales Gothicæ Hispanicæque fuerint.

XI. Apparet tamen ex novo fororum Biscainorum corpore, ejusque compositionis historia volumini præfixa, habuisse jam antiquis temporibus gentem illam foros legesque scriptis consignatas; corporisque illius, quod ævo simplici JCtisque carente compositum ad arbitrium bonorum hominum fuerat, insignes posteriori tempore deprehensos defectus, ac corrigendorum mutandorumve ac noviori sæculo accommodandorum copiam reformationi illi sub Carolo V. Imp. factæ ma-

materiam occasionemque suppeditasse. Nec minus ex Elisabethæ Reginæ ac Ferdinandi Catholici confirmationibus veterum illorum fororum ac legum eidem volumini adjectis, jurejurandoque firmatis apparet, illas leges particulares a veteribus æque comitibus dominisque Biscajæ, (quorum historiam concinnavit, ediditque Ant. Navarro Larreategui Biscainus, principi Sabaudiæ Philiberto a secretis sub titulo: *Epitome de los señores de Vizcaya*, Augustæ Taurinorum 1620. in 4.) ac Regibus Castellæ antiquis latas concessasque huic genti fuisse. Illa Isabellæ jurata confirmatio earum legum signata fuit Arandæ die 14. Octobr. anno 1473. scriptaque ab ejus secretario Alfonso de Avila, subscriptis etiam testium Gundisalvi Ciacconii, Gometii Manrique archidiaconi Toletanæ ecclesiæ, doctoris Didaci de Ribera, Antonii licenciati, Ludovici de Messa, Nunii doctoris, Petri licentiati nominibus; ista Ferdinandi conjugis die XXX. Julii 1476. scripta a Gaspare de Arino consiliario & secretario regio.

XII. Historia vero illa novæ fororum Cantabriæ compilationis hæc est. An. Christi M.D.XXVI. imperante Carolo V. in comitiis hujus dominii sub arbore ad Guernicam oppidum ritu patrio institutis, ad diem V. Aprilis, facta a lic. jurium D. Petro Girone de Loaisa, correctore seu prætore (*corregidor del señorio de Vizcaya*) est propositio

de

de veterum Biscainæ gentis legum fororumque reformatione ac emendatione, resque illa unanimi concilii arbitrio delata est sequentibus jurium & civilis Hispanici & patriæ Biscajæ peritissimis, licenciato Didaco Ochoa de Muxica, baccalaureisve Jo. Saenz, vel Sanctii de Ugarte, Martino Petri seu Perez de Burgoa, Fortunio Sanctii de Cirraruysta, Lupo Itañez de Ugarte, Roderico Martinez de Velendiz, Ochoæ de Velendiz, Petro de Varaya, prætori juridico (*alcalde del fuero*) Innico Urtiz de Ibarguen, Martino Ortiz de Zurra vel Zarra, Martino Saez de Oinquina, Ochoæ Urtiz de Guerra, seu Guecho, ut alibi, & Petro Martinez de Luna, qui & operam novum colligendi fororum Cantabriæ systema lubentes in se suscepere.

XIII. Hi ergo viri una cum prætore don Petro Girone de Loaysa, in cujus manus prius solemne jusjurandum præstitere, de legibus pie, juste, sincere & ἀδόλως ordinandis convenere in domum Martini Saenz de la Naja extra urbem Bilbao ad diem X. Augusti anni 1526. una præsentibus Martino Ibañez de Zarra & Petro Ochoa de Galarza, scribis regiis notariisque curiæ & totius regni Hispaniarum, in primisque dominii Biscajæ, quibus Loaisa tradidit vetus quoddam jus seu forum Biscainum signatum manu Ochoæ de Ciloniz scribæ seu notarii, ut leges eo contentæ a concilio isto

JCtorum, quod eum in finem quotidie in prædicta domo ab hora sexta matutina ad decimam, & ab hora prima ad quintam congregabatur, perlegerentur, & ad præsentem rerum statum accommodarentur, emendando, augendo, minuendove, prout justum, æquum ac conveniens eis videbatur.

XIV. Peractis decem dierum spatio labor iste fuit, conventumque rursus est in domo Martini Saez de la Naja die XX. Augusti præfati anni 1526. ibidemque universo concilio propositæ fuere differentiæ veteris novique legum ac fororum systematis, & quæ addenda, detrahenda ac corrigenda videbantur, ac in schedis annotata fuerant, publice prælecta, quibus unanimi applausu a tota concione acceptis, injunctum est baccalaureo Martino Perez de Burgoa, advocato dominii Biscajæ, & Innico Urtiz de Ibarguen, syndico ejusdem, munus revidendi æque ac conferendi jus vetus novasque in illud animadversiones, ex iisque omnibus conflandi novum fororum hujus gentis systema, omnes istas leges veteres æque ac novas sub certa capita ac titulos in ordinem redigendo. Suscepere ambo isti in se laborem illum, atque concurrentes in ecclesiam B. Mariæ veterem oppidi Guernica, solique huic rei intenti intra breve spatium temporis novum illud systema fororum composuere, ac manu propria Innici Urtiz descriptum concilio exhibuere die XXI. Augusti 1526. ubi publi-

ce

ce prælectum utrumque, vetus puta & novum juris corpus, ac applausu universali exceptum, descriptum rursus, signatumque manu notariorum, ac munitum etiam sigillo dominii Biscajæ, traditumque procuratoribus est, qui ad Regem, ut ab eo confirmatum vim legis ac robur nancisceretur, perferrent. Fuere illi Innicus Urtiz de Ibarguen & Petrus de Varaya, qui Vallisoleti die VIII. Aprilis 1527. regio supremo senatui Regique ipsi ad confirmationem illud obtulere, qui & sanctione publica id peregit, data ibidem die VII. Junii ejusdem anni, & alia die I. Junii licentiam idem forum typis edendi concessit, prout prolixe hæc omnia tum in principio, tum in fine systematis istius annotata expressaque habentur.

XV. Constat hinc, primum novi hujus juris Biscaini corpus typis jam anno 1527. impressum fuisse, quam tamen editionem videre nobis non licuit, aliam quippe notam non habemus, quam illam, quæ Philippo IV. regnante prodiit, & nobiscum Madrito allata est. Titulo ea superbit tali: *El Fuero, privilegios, franquezas y libertades de los caballeros hijosdalgo* (quo nomine cives rusticique omnes illic insigniri cupiunt) *del señorio de Vizcaya, confirmados por el Rey Don Phelippe IV. y por los señores Reyes sus predecessores.* Prodiitque ea permissu regio, sumtibusque dominii Biscajæ in urbe Bilbao apud Petr. de Huydobro typo-

graphum dominii 1643. in fol. constatque titulis XXXVI. qui rursus in leges dispescuntur, præfixis omnibus actis novæ collectionis, ac adjectis in fine Elisabethæ, Ferdinandi V. Joannæ, Caroli I. Philippi II. III. & IV. confirmationibus, ac repertorio titulorum æque ac rerum juxta alphabeti seriem.

XVI. Est tamen & alia adhuc, quam vidisse memini, editio vetustior jam citata, Medinæ nimirum edita anno 1585. in fol. Notandum etiam est, cautum a Regibus peculiari esse sanctione Vallisoleti die VII. Junii 1527. data, ut non modo in dominio Biscajæ, sed & in curiis supremis, Vallisoletana ac Granatensi, & ubicumque alias jus Biscainis dicendum foret, non id secundum aliud, ac idem illud Biscainum jus ac forum fieri debeat, eo autem deficiente, secundum Hispaniæ ac Castellæ regnorum leges pronuntiandum sit. Conferantur præfatio & lex III. tit. XXXVI. Sed in primis notari a curiosis meretur ritus ille solemnis, quo usi sunt Biscajæ domini in jurandis suæ gentis legibus ac privilegiis, quem breviter hic, prout titulo I. novi systematis, fol. 7. habetur, apponere placet: „Succedente novo Biscajæ domino, quocumque id jure modove fiat, cautum lege est, quod, ubi quatuordecim compleverit annos, ipse Biscajam intra anni spatium tenetur accedere, ibique primum quidem ad

„ por-

„ portas urbis Bilbao jurare in manus sena-
„ tus ejus urbis, se custoditurum sanctеque
„ servaturum Biscainis, illis æque, qui in
„ planitie regionis, urbibusque ac pagis il-
„ lis, ac reliquis, qui in *Duranguesses* & *En-*
„ *cartaciones* (ita enim districtus ac præfectu-
„ ræ hujus dominii distinguuntur) incolunt,
„ omnibus ac singulis sua jura, *franquezas*,
„ libertates & privilegia sarta tecta. Ingressus
„ postea ædem D. Emeterii & Celedonii in
„ oppido Larrabezua simile in manus sacer-
„ dotis hostiam crucifixi manibus tenentis
„ præstare jusjurandum; Guernicam dein ad-
„ ire oppidum, ibique in summitate, quæ
„ *de Arechabalaga* audit, exceptus a Bis-
„ cainorum concilio, & pro domino ac Re-
„ ge susceptus & agnitus, iterum sub arbore
„ Guernicensi, ubi comitia gentis celebrari
„ assolent, quæve insignia dominii Biscajæ
„ constituit, appositis ad radices duobus lu-
„ pis coloris subfusci agnivoris in fundo ar-
„ gentei coloris, eadem jurare, tandemque
„ intrando urbem Verneo, in æde S. Eu-
„ phemiæ ibidem coram sacerdote hostiam
„ gestante, manu altari imposita, quarta &
„ ultima vice eadem jurejurando confirma-
„ re. “

XVII. Expressa quoque sancitum lege est, antequam hæc omnia a domino Biscajæ solemni ritu fuerint peracta, nec censum, nec vectigal, nec aliud quodvis tributum, si reditus, qui ob liberum ferramentorum

transitum solvuntur, excipias, a Biscainis solvendum esse. Præstito autem illo jurejurando sub arbore Guernicensi Rex vel dominus sedile quoddam lapideum ibidem positum occupat regio diademate ac insignibus ornatus, tum prætor dominii (*corregidor del señorio*), præfecti sodalitatum (*alcaldes de la hermandad*), commendatarius supremus (*el prestamero mayor*), prætores juridici, (*alcaldes del fuero*), procuratores & deputati universitatum, equites & armigeri (*caballeros y escuderos*) reliquique solemnibus verbis fidem ei astringunt, & ad osculum manuum admittuntur. Nimis prolixus forem, si omnia, quæ præ reliquis Hispanis a Regibus obtinuere, privilegia & libertates minutim hic recensere vellem: sufficiat affirmasse, eos vel ex omnibus illius monarchiæ regnorum ac ditionum civibus & subjectis maximis gaudere privilegiis, liberrimosque vivere.

XVIII. Sed, ut in orbitam revertar, id ultimo monendum est loco, nec huic Bizcainorum fororum corpori suum deesse commentatorem. Jo. is est BAPT. DE LARREA, cujus fiscalia jam supra attigimus. Cantaber fuit Victoria, metropoli Alavæ Cantabrorum provinciæ oriundus; eques S. Jacobi, ac in Conchensi Salmanticæ collegio jura per omnes cathedras docuit; Granatensis deinde curiæ senator, Madritum inde evocatus advocatus primum fisci regii, post & in concilio rationum regiarum (*de real hacienda*) judex,

&

& tandem senator in supremo patrum Castellæ consessu constitutus, in eodem munere Madriti e vivis excessit. Commentaria eum (manuscripta adhuc in scriniis latentia, cet.) inter alia plura ingenii monumenta exarasse in ordinationes seu *fueros* Biscajæ auctor est Aegidius Gonsalez Davila tum in *Historia Salmantina*, tum in *Theatro ecclesiæ Conchensis*, ubi de Didaco Ramirez de Villaescusa Conchensis illius collegii fundatore disserit, [1] Antoniusque noster.

XIX. Sed reliquum nunc est, ut pedem proferamus, cum memoratu dignum de Biscajæ legibus nihil dicendum restet. Cantabris ergo non inepte vicinos jungimus CALLAICOS seu GALLAECOS. Sed & de his fere nihil habemus, cum ab eo tempore, quo in Legionis Regum, & Castellæ dein potestatem venere, generalibus horum regnorum legibus Gallæcia semper paruerit. Id solum notatu dignum est, peculiari prætorio atque curia, seu, ut vulgo vocant, *Audiencia* regnum Galliciæ exornatum instructumque a Ferdinando & Elisabetha Catholicis Hispaniarum Regibus fuisse, non quidem anno demum 1486. ut [2] Cl. Clemens Jesuita voluit, sed anno jam 1480. cujus die III. Aug. publicata est sanctio pragmatica Toleti, qua serenissimi Reges prædicti in manda-



1 In *Biblioth. nov.* tom. 1. pag. 490. col. 1. & 2.
2 In *Tabb. chronolog.* pag. 142. col. 2.

datis dedere D. Ferdinando de Acuña, qui consiliarius & capitaneus regni generalis tunc erat, & Lic. Garsiæ Lupi de Chinchilla, consiliario itidem Regio, ut Gallæciam adirent, novamque illic erigerent curiam, priorque eidem titulo *justicia mayor* præsideret; ejus in locum dein gubernatoris cessit titulus, qui una cum supremis præfectis (*alcaldes mayores*) in prætorio illo hodienum jus dicit, præsidis (*presidente*) nomine etiam insignis.

XX. Præter jam dictos præsidem ac senatores adest fisci procurator, cum apparitore supremo, & reliquis ordinariis, advocati, relatores, scribæ concilii (*escrivanos de assiento*) magister rationum (*contador*), cum quæstore seu receptore mulctarum a senatu indictarum, procuratores, æstimatores (*tassadores*), cum præfecto carcerum (*alcayde de la carcel*), & custodibus, cet. Sedem audientia seu prætorium hocce primam fixerat in urbe Compostellensi, sed per sanctionem Regis Philippi II. datam Madriti die XIV. Augusti, 1563. & firmatam manu Francisci de Erasso secretarii mandatum est, ut in urbe Coruniensi (*Coruña*) in posterum resideat, quod & in hunc usque diem observatur. Per aliam item ejusdem regis epistolam cautum est, lites ac processus, quorum summa & usuræ valorem mille aureorum non excedunt, tantum decidi in hoc prætorio debere, majoris autem pretii caussas ad summum

tri-

tribunal Vallisoletanum appellando devolvi posse, & in caussis centum millibus maravedinis majoribus, ad sententiam in actu revisionis statuendam tria suffragia ex asse sibimet conformia requiri; in criminalibus etiam ad tribunal Vallisoletanum recurrendum, in sententiis a prætorio Galliciæ latis, quæ maximam capitis attinent diminutionem per aliam ejusdem Regis epistolam Madriti die XX. Augusti 1566. datam.

XXI. Prolixus nimis forem, si reliqua, quæ huic prætorio cum Vallisoletano communia, aut minus sunt, ulterius prosequi vellem, quare lectorem placet ablegare ad constitutiones hujus audientiæ typis impressas, quæ unicum, ni fallor, opus sunt, quod de peculiari Gallæciæ jure (cum in reliquis Castellæ leges agnoscat) prostat, aut allegari potest. Compilatæ atque congestæ illæ fuere jussu præsidis senatusque a D. Josepho Maldonato & Pardo, fisci regii audientiæ hujus patrono, cura disponendi, inque ordinem redigendi commissa D. Petro de Zuñiga; digestæque sunt in duos libros, quorum prior de jure personarum audientiam hanc constituentium, earum nempe officiis, juribus ac privilegiis, sub titulis sedecim; alter de rebus & actionibus titulis octo, adjectis variis Regum rescriptis, ac nonnullis visitationum seu reformationum actibus per senatores curiæ supremæ Vallisoletanæ in prætorio hoc exercitis. Titulus libri est: *Orde-*

*nan-*

*nanzas de la real audiencia del reino de Galicia*, Coruña apud Ant. Frayz 1679. in fol. 164. foliorum.

Et hæc sunt, quæ de hoc Hispaniarum regno, ejusque legibus edisseri a nobis potuere.

# SECTIO XII.

## *DE LUSITANORUM LEGIBUS.*

I. EX Gallæcia tandem ad finitimam descendimus LUSITANIAM, quæ ampliorem paulo nobis de suis legibus aperit disserendi campum. Quibus hæc olim paruerit legibus cum Lusitanica æque ac Bætica Tarraconensis Hispaniæ Romanorum armis ac dominio provinciæ cesserant, divinatu facilis perquam res est, in primis si *l. in Lusitania* 8. *ϖ. de Censibus*, aliæque plures inspiciantur, quibus, si placet, [1] Jo. Parladorium, aliosque conferre JCtos quilibet potest. Pariter & hic cum Gothorum imperio eorum & valuere leges, usque dum cum reliquis Hispaniæ Maurorum in potestatem regnum illud cederet, a quibus vindicatum per Legionis Reges Alfonsus VI. Rex Lotharingiæ comiti Enrico genero suo in filiæ Teresiæ dotem concessit cum titulo comitatus, ut

1 *Rerum quotidianarum* lib. 2. cap. 21. num. 3.

ut vulgata est opinio, minus tamen probata Lusitanis, quippe qui illud numquam non regnum exstitisse contendunt. Ex illo tempore ab ipso Enrico ejusque successoribus peculiares urbibus oppidisque illic fori & municipalia jura constitui erigique coepere.

II Primum, cujus apud Lusitaniæ historicos occurrit mentio, Forum ejusmodi seu *Foral* est Guimarense. Origo quidem ejus ad quem referenda sit annum, non constat, quin fratres Brandaones, *Monarchiæ Lusitanæ* continuatores sibi ipsismet contrarii videntur, dum nonnullibi [1] Enricum comitem auctorem, annumque 1096. definiunt, alibi autem ejus filium [2] Alfonsum Enriquez, annumque 1130. aut circiter statuunt, ibidemque hæc verba ex diplomate, prout in archivo regio turris [3] *do Tombo* habetur, allegant: *Proinde quod vos fecistis honorem & cabum super me, & fecistis mihi servitium bonum & fidele, & mecum sustinuistis male & pena in Vimaranes*, cet. quo obsidionem ejus oppidi, a rege Castellæ circa istud tempus tentatam, dubio procul indigitat. Eodem etiam tempore Foros seu *Foraes* ab Alfonso Enriquez Rege urbibus Miranda & Cea con-

1 *Monarquia Lusitana* parte 3. lib. 8. cap. 15. fol. 32. col. 1.

2 Ibidem lib. 9. cap. 30. fol. 115. col. 3.

3 Lib. 6. *dos foraes antigos* fol. 95. *&* *da leitura nova* folio 71.

concessos fuisse, anno nimirum 1136. ex eodem regio archivo asserit [1] Ant. Brandaon, qui & subscripta illis magnatum sequentium nomina exhibet, ut [2] Ferdinandi Cativo, Gonsalvi Rodrigues, Egas Moniz, Gonsalvi de Sousa senioris (*o velho*) Tractesendi Vermuiz, Gunstadi Diaz, Pelagii (*Pajo*) Gotenez, Randulfi Zoleima, & in Ceano Pelagii Carvalionis, Garsiæ Mauro, Salvatoris Trosendes seu Tructesendi, Petri Reiriques, & Suerii Mendes. In primis autem locum hic mereretur, pleniusque exponi deberet jus illud seu leges fundamentales, quæ in comitiis Lamego in urbe anno 1143. celebratis ab Alfonso Enriquez nuper electo Rege & concilio latæ fuere de regio jure, regni administratione, & justitiæ; verum cum non solum Brandaon *Monarchiæ Lusitanæ* parte III. lib. 10. cap. 13. fol. 141. seqq. sed & Jo. Caramuel Lobkowiz in libro: *Philippus II. legitimus Portugalliæ Rex demonstratus* lib. 2. artic. 4. pag. 104. seqq. ac *Descriptio Lusitaniæ*, quæ inter Respublicas Elzevirianas habetur, pag. 126. & alii eas integras Latino expresserint idiomate, silentio præterire maluimus.

III. Regina etiam Teresia (seu Tareja, ut lingua vernacula audit) Regis Alfonsi Enri-

1 Ibidem libro *dos foraes da leitura nova* folio 31. & 54.

2 Lib. 9. cap. 30. fol. 115. fol. 4.

riquez filia anno 1180. mense Martio, vel 1179. forum rogavit incolis oppidi Ourem. Cauſſam rei hujus ipsa in diplomate exponit his verbis: [1] *Neceſſarium duxi rapinas & injurias populo mihi subdito misericorditer revocare.* Ipse Rex Alfonsus Enriquez anno 1170. Mauris liberis urbis Ulyſſiponensis incolis; *Mouros forros de Lisboa* dictis, foros concesſit signatos manibus comitis Valasci, Cerveiræ præfecti seu *alcaide*, & [2] Doni Galdini. Sed placet ipsa apponere verba, prout alibi apud [3] Brandaonem habentur: *In Dei nomine ego Adefonsus Rex Portugalis una cum filio meo Rege Sanctio facio cartam firmitatis & firmitudinis vobis Mauris, qui estis forri in Ulixbona, & in Almadana, & in Balmela, & in Alcazar, ut in mea terra nullum malum injuste recipiatis, & nullus meus christianus, neque Judæus super vos habeat nocendi potestatem, sed ille, quem vos de gente vestra super vos pro alcaide vestro elegeritis, ipse judicet vos. Et hoc facio, ut reddatis mihi* Alfitam & Moque, *& totam decimam de universo labore vestro, & omnes vineas meas præparetis, & vendatis meas ficus & meum oleum, quomodo vendiderint habitatores terræ tertia parte de meis minus.* Fa-

1 *Monarquia Lusitana* lib. 12. cap. 29. fol. 254. col. 1. & fol. 83. col. 2.
2 Ibidem lib. 9. cap. 30. fol. 116. col. 1.
3 Lib. 11. cap. 32. fol. 257. col. 3. & 4.

*Facta charta menſe Martio Aera M. CC. VIII.* ſeu rectius M. CC. XVIII. ut Brandaon vult.

IV. Petrus item Alfonſus, ejuſdem Regis Alfonſi Enriquez filius naturalis, ſeu extra legitimum matrimonium natus an. 1174. oppido Figuero, & anno 1176. oppido Podrogano foros contulit, & Aegidius Sanctii, Regis Sanctii I. filius anno 1213. foros oppido [1] Sarzedas conceſſit. Quin & indultu Regum quandoque nobiles urbibus oppidiſque a Regibus ſibi donatis jura foroſque præſcripſere. Exempla quædam apponere placet ad illuſtrandum hoc argumentum conducentia. Jo. Viegas de Acunha, & Egas Gozendes, ex antiquiſſimis Luſitaniæ nobilibus, oppido Sernacelhe (ſito in districtu ſeu *comarca* Beirenſi & caſtello munito eximio) foros tulere ſignatos *VII. Kal. Novembr. Aera M. C. LXII.* (ſeu XXVI. Octobris anni 1114. [2] regnante in Portugallia Infanta Taraſia, Colimbrienſe epiſcopo Gunſalvo. Forum oppido Namano, cognominato Monforte, conceſſum fuit a Ferdinando Mendez ejuſque filiis, *data carta VIII. Julii Aera M. C. LXVIII.* (ſeu anno 1130.) *regnante Rege Alfonſo in Legione & in tota Eſtrematura, imperante in Portugal Infante domno Alfonſo.*

V.

1 Brandaon *Monarq. Luſit.* parte 3. lib. 9. cap. 12. fol. 83. col. 3.

2 *Torre do Tombo* in libro *dos foraes velhos*, fol. 23.

V. Quin & milites illi ac nobiles extranei, qui ad obsidionem urbis Ulyssiponensis concurrerant suppetias laturi Alfonso Regi contra Mauros, ab eodem oppidis in hoc regno donati foros ac leges illis tulere, verbi gratia, D. Alardus oppido Villaverde anno 1160. D. Jordanus oppido Lourinhana, Guilielmus de la Corni oppido Attouguia, tandemque Rodericus Ferdinandi seu *Rey Fernandez* ex posteris domini Rolim oppido Azambuja. Item episcopi etiam prælatique ecclesiastici suæ ditionis terris oppidisque jura & leges municipales constituere. Exemplo nobis sunt D. Osorius seu Sueiro, episcopus Ulyssiponensis, qui urbi Alhandra forum tulit anno 1203. Dom Pelagius seu Pajo, episcopus Eboræ, oppido Benavente, abbates item Alcobacenses pluribus abbatiæ istius oppidis foros concessere, teste optimo nostro [1] Ant. Brandaone, qui & pergit, omnes istos foros jam memoratos non nisi municipales propriasque locorum, quibus rogati fuerant, leges fuisse, modumque justitiam in civilibus æque ac criminalibus administrandi docuisse; modum autem procedendi in judicio antiquis illis temporibus familiarem hunc fuisse: quoties caussæ litesve cognoscendæ erant ac decidendæ, primores loci atque cives honoratiores,

seu

1 *Monarquia Lusitana* lib. 9. cap. fol. 83. col. 3. & 4.

ſeu, ut vernacule ſonat, *la gente principal*, concurrebant ad domum gubernatoris, comitis, rici hominis, ſeu adelantati, (vel, ut illo audiebat ævo *tiumphado*, quam vocem a Gothico verbo *Thieph* derivare conatur Brandaon) & ſuffragia ſua ferebant, quorum ex numero litis pendebat eventus.

VI. Ejus methodi procedendi duo idem ſuppeditat nobis exempla, primum petitum ex chartario Palumbarino (ſeu *cartorio de Pombeyro*) ubi anno Aeræ 1109. ſeu Chriſti 1071. Flamulam inter & Adoſindam Ketas ſorores lis ſuper bonis nonnullis in Lodares oppido ſitis exorta eſt, hæc tranſactionis habentur verba: *Devenimus inde ad conſilium hic in aciſterio de Palumbariis, ubi fuit Egas Gomiſi, & alii multorum nobilium hominum, & providerunt bene in ipſo conſilio, ut roboraſſemus unas ab aliis, ut numquam nobis inquietaremus.* Alterum ex libro *Donationum Araucenſium* (*Doazones de Arouca*) num. 98. ubi menſe Martio Aeræ 1158. ſeu Chriſti 1120. Froila Belindez bona quædam in Villameam & Parada cum Toda Viegas pro aliis bonis in *Rio de Galinhas* permutans, actum illum ſolemnem in diplomate his verbis exprimit: *Et devenimus inde Creſconi ante domino Egaz Moniz, & ibi Seſnando Odoris, & alii filii benenatorum, & exquiſierunt, ut ego Froila non habebam ibi in illas hereditates nulla cauſſa, niſi herentia in ſancto Petro de Arauca. Et viderunt homi-*

*nes*

*nes bonos*, *& domino Egas*, *ut ipsa cambiatione firmiter exstitisset pro hac sententia*: *& ita placuit mihi.* Item in alia caussa inter abbatem monasterii de Pedroso & illum de Pazo (prout in charta prioris monasterii exprimitur data anno 1132. & recondita in archivo Pombeirensi) venerunt ad consilium in civitate S. Mariæ ante illum imperatorem Ermigium Moniz & alios homines bonos, qui ibi fuerunt, & convenerunt, & judicaverunt illos Egas Odoris, Nuno Soares, Ero Telles, Tello Alvares, & Gomiza Velasquis, *quæ partissent per medium illa hereditate*, cet. *Facta charta in temporibus regnante Infans Adefonsus*, *Bernardus episcopus Colimbriensis*. Per vocem *imperator* Brandaon hic explicavit capitaneum generalem [1] (*fronteiro mor*.

VII. Plura adhuc ejusmodi exempla nobis exhibentur apud prædictum auctorem, quæ tamen singula recensere tædiosum nimis. Antequam vero ulterius progrediar, non possum, quin mentionem prius faciam fori, quod oppido Soure concessit ipse Enricus primus, Portugaliæ comes, anno 1111, & alterius, quod oppido [2] Linhares, comitatus cognominis metropoli, concessit Alfonsus Enriquez mense Sept. Aera 1207. seu

T 1169.

1 *Monarq. Lusit.* lib. 9. cap. 13. fol. 84. col. 3.
2 *Monarquia Lusitana* parte 3. lib. 11. cap. 31. fol. 59. col. 2.

1169. Nomina magnatum, qui charta seu diploma legum illarum manu sua firmarunt, hæc exhibentur: [1] Joannes, Braccarensis archiepiscopus; Gunsalvus, Vicensis episcopus; Domnus Menendus, Lamecensis episcopus; Michael, Colimbricensis episcopus; Domnus Petrus, Portuensis episcopus; Domnus Alvarus, Ulyxbonensis episcopus; Suarius, Elborensis episcopus; Comes Velascus, curiæ dapifer; Fernandus, Alfonsi, Regis signifer; Petrus Fernandi, Regis Sanctii dapifer; Nuno Fernandis, ejus signifer; Suerius Menendi, Extrematuræ dominus; Velascus Fernandi, Petrus Salvatoris, magister Albertus, cancellarius.

VIII. Sed celebre in primis ob indulta varia privilegia est *Forum Ulyssiponense*, quod huic regni metropoli concessit anno 1179. Rex Alfonsus Enriquez, cum in urbe Conimbricensi moraretur. Præcipua ejus momenta exhibet [2] Brandaon noster, quæ tamen hic repetere supervacaneum duco. Eodem die & anno quoque fori concessi fuere urbibus Coimbra & Santarem, in quibus veteres fori a patre suo comite Enrico, & avo Alfonso VI. Legionis Rege, lati aucti emendatique ab isto Rege fuere. Urbem etiam Abrantes a Mauris eodem hoc anno ob-

1 Ibidem lib. 11. cap. 14. fol. 228. col. 4.

2 *Monarquia Lusitana* parte 3. lib. 11. cap. 29. pag. 253. col. 3. & 4.

obsessam, & ab Alfonso Enriquez liberatam foro ipse donavit circa idem tempus, ut & Pinellam (*Pinhel*) urbem in confiniis Castellæ probe munitam, Marialvam item comitatus ex vetustissimis unius metropolim, ut & Penellam oppidum, cujus forus latus est anno 1175. Nomina magnatum, qui eos manibus suis corroborarunt, exhibet idem Brandaon, propterea consulendus loco citato.

IX. Perlustrato nunc ortu, primisque Lusitanarum legum incunabulis, opus est, ut & molem ipsam, quæ inde exstructa est, consideremus. Alfonsus nimirum II. eo nomine, tertius Lusitanorum Rex, quamprimum regni capessiverat frena, universæ patriæ consulturus commodis, quæ particularibus adhuc suberat urbium locorumve foris, generale ex iis omnibus conflari legum totius regni corpus ac systema curavit. Exstat codex lingua vernacula scriptus & manu exaratus in archivo regio turris *do Tombo*, cujus initium, prout [1] Brandaon illud exhibet, in Latinum idioma translatum, tale est: *Anno primo regni nobilissimi Regis, domini Alfonsi secundi, filii celsissimi Regis domini Sanctii & Reginæ dominæ Dulcis, nepotis magni Regis domini Alfonsi, comitia Conimbricæ fuere celebrata, in quibus consilio domini Pe-*

T 2

1 *Monarchiæ Lusitanæ* parte 4. lib. 13. cap. 21. fol. 106. col. 2. Confer lib. 9. parte 3. cap. 12. fol. 83.

*Petri, electi archiepiscopi Bracarensis, & omnium episcoporum, clericorumque, ricorum hominum & vasallorum, Rex prædictus stabilivit leges & judicia, secundum quæ universum regnum & omnes subjecti perpetuo regerentur, & judicarentur, per ipsum Regem & omnes ejus successores; a quibus observandæ ac custodiendæ essent, adjectis, demtis emendatisque, quæ convenientia judicarentur. Mandatum etiam fuit, leges has vigorem suum una cum jure canonico; legibusque ecclesiæ Rom. servare; nec ei contrarias valituras umquam esse. Factum hoc est anno salutis* 1211.

X. Ne prolixus nimis fiam, silentio præteribo singula capita ejus systematis, ex quibus præcipua & notatu digna excerpta dedit noster Brandaon. Non possum tamen, quin unicam hic subjungam legem ab Alfonso II. sancitam, qua frenum quasi suæmet ipsius potestati injecisse videtur, laude tamen dignus propterea censendus. Ea, prout lingua vernacula sonat, hæc talis est: *Porque a sanha soe embargar o corazaon, que nom pode ver direitamente as cousas, por ende establecemos, que, se por ventura no movimento de nosso corazaon a alguem julgarmos morte, ou que lhe cortem algum nembro, tal sentenza seja prolongada ata vinte dias, & des hi em diante sera a sentenza a execuzaon, se nos em este comenos naon revogarmos*; id est: siquidem ira solet im-

impedire animum, quo minus exacte cognoſcere, & recte judicare de rebus actionibusque valeat; ideo statuimus, quod, si forsan ex vehementi animi motu quempiam ad mortem, aut membrorum decurtationem condemnaverimus, talis sententiæ exsequutio viginti dierum spatio differatur, & ni isto temporis intervallo aliter fuerit statutum, tum demum ad exsequendam eam pergatur.

XI. Accidit eodem fere tempore, circa annum videlicet 1220. graves inter Alfonsum hunc II. Regem, & D. Frey Suerium Gomez, præfectum ord. Prædic. lites contentionesque agitari, quibus ansam porrexit coactum a Gomezio monachorum sui ordinis concilium, quod leges ac constitutiones de rebus civilibus criminalibusque statuere ac sancire in animum induxit, effecitque ac publicavit. Aegerrime eam rem tulit Alfonsus Rex, prævaricationem interpretatus juri majestatis suæ, cui soli legum ferendarum potestatem vindicabat; epistolam, quam ira percitus indignatusque eam ob rem ad senatum Santarenæ urbis scripsit, lectu haud injucundam, dignamque, quæ hic locum inveniat, judicamus; exhibet illam [1] Brandaon in sermonem vernaculum translatam, & alibi [2] Latino etiam idiomate, prout in archi-

 chi-

1 *Monarquia Lusitana* parte 4. lib. 13. cap. 22. fol. 107. col. 3. seq.

2 In appendice ad partem 4. scriptura 11. fol. 168.

chivo regio [1] asservatur, & qualem nos hic descriptam damus:

XII. „ Alfonsus, Dei gratia Portugal„liæ Rex, prætori de Sanctarem, & alvasi„liis & aliis meis hominibus, qui ibi meas „caussas habent ad videndum, & tabellio„nibus & concilio, salutem. Mando vobis „firmiter, ut nullus sit in villa vestra, qui „audeat extrahere illos decretos laicales, quos „Suerius Gomes prior de ordine Prædicato„rum cum fratribus ejusdem ordinis posuit „in levando habere de hominibus, & in fa„ciendo justitiam in suis corporibus, quod „nolo ego, quod pro istis decretis levetur „habere de hominibus, nec faciant justitiam „in suis corporibus. Et hoc acordavi cum „meis privatis, quod ista decreta sunt gran„de meum desaforamentum, & de mea cu„ria, & de illis, qui post me regnaverint, „& de meis filiis de algo (*nobilibus* seu *hi*„*josdalgo*) & de omnibus aliis hominibus „regni mei, filiis de algo & villanis, laicis „& de ordine; & etiam ista decreta sunt „contra illum librum legum, qui dicit, „quod nec recipiamus novam legem in re„gno nostro, per quem librum & per qua„le forum debent judicari filii de algo Por„tugal, & ista talia decreta numquam fue„runt in tempore comitis D. Enrici, nec

„ in

[1] *Torre do Tombo archivo real libro dos foraes de leitura antiga* fol. 17.

„ in tempore avi mei Regis Don Alfonsi, „ quem Papa Alexander III. suo privilegio „ confirmavit in Regem, & terram suam in „ regnum; nec in tempore Regis D. Sanctii „ patris mei, qui habuit unam protectionem „ de Clemente Papa III. nec etiam in meo „ tempore, qui habeo duas protectiones, u- „ nam ab Innocentio Papa III. & aliam de „ Honorio Papa III.

XIII. „ Et propter hæc omnia quicum- „ que voluerit extrahere istos decretos, pecta- „ bit (*solvet*) mihi mille morabitinos, & fa- „ ciam justitiam de illo, & in suo habere, „ qualem videro pro directo. Et credat me- „ us ricus homo, in cujus terra ista decreta „ exstraxerint, quod perdet ibi amorem „ meum, & terram, quam de me tenuerit. „ Et prætor perdet ibi meam alcaidariam „ (*præfecturam* seu *præturam*) & meum a- „ morem, & accipiam justitiam de illo in „ suo corpore, & in suo habere, qualem „ videro pro directo; & de alvasiliis, & de „ aliis meis hominibus, qui meas caussas ha- „ bent ad videndum; & de tabellione acci- „ piam vindictam in suis corporibus, & in „ suis haberes, qualem videro pro directo. „ Mando tamen, quod si aliquis ad furtum „ vendiderit aliquam rem, quod sit contra „ ista decreta, pectabit mihi D. morabiti- „ nos, & accipam vindictam de illo, & de „ suo habere, qualem videro pro directo, & „ perdet illud quod vendiderit, & morabiti-

„ nos, quos ei proinde dederit. Similiter qui-
„ cumque comparaverit aliquam rem, quæ
„ sit contra ista decreta, pectet mihi D. mo-
„ rabitinos, & accipiam vindictam de illo
„ in suo habere, qualem videro pro directo,
„ ac perdet illud, quod comparaverit, & mo-
„ rabitinos, quos proinde dederit. Datum a-
„ pud Sactarem XIX. Junii, Rege mandan-
„ te, cet. "

XIV. Sed satis de his, properamus ad recentiora. Sed antequam eo pergam, opus est, ut quæ fora tulerit oppidis Lusitaniæ secundus ejus Rex Sanctius I. breviter exponam. Anno is 1186. Covellianam seu *Covilham* urbem noviter instauratam & incolis, & foro mense Septembri lato donavit; inter alia hoc privilegium urbi huic concessit, *ut omnis Christianus, quamvis sit servus, ex quo Covillianam habitaverit per unum annum, sit liber & ingenuus, tam ipse, quam progenies ejus*, prout verba fori sunt ex M. S. codice, qui in [1] turre *do Tombo*, asservatur, depromta, & a [2] Brandaone recensita. Eodem anno 1186. Rex idem in urbe Santarem forum concessit urbi Gouvea seu Govea, hodie metropoli marchionatus domus de Silva, dominorum stemmatis de Porta-

1 In archivo regio libro *dos foraes da leitura nova* fol. 30.

2 Parte 4. *da Monarquia Lusitana* lib. 12. cap. 3. fol. 4. col. 2. & 3.

talegre; anno sequenti 1187. foros Rex tulit urbibus Viseo & Braganzæ, huic mense Aprili in urbe Guimaraens, ubi tum Rex commorabatur: [1] isti mense Junio in urbe [2] Santarem confirmando ei eosdem foros, quos pater suus Alfonsus Rex jam concesserat, apparetque ex his ejus verbis: *Milites & clerici, qui in veteri civitate de Viseo casas habuerint, possideant eas*, cet. urbem hanc alio nunc loco sitam esse paulo a priori situ distante. Firmarunt utramque donationem Rex & Regina Dulcis, ejus filii Infantes D. Alfonsus, & D. Enricus, & Infantæ domina Teresia & Sanctia, ubi notatu dignum, etiam principum vix unius anni infantum nomina apposita solemnibus instrumentis fuisse.

XV. Idem Sanctius Rex anno 1195. mense Aprili foros dedit oppido Ermello, in urbe Vimaraens, & oppido [3] Sanguinedo die XXIII. Decembr. 1223. Anno item 1189. oppidis Pinhel & Penamacor, quod ab ipso populatum, ut vocant, seu incolis præditum fuit, ut ex subscriptione hac trium nobilium patet: *Menendus Petri prætor, qui incepit populare: Martinus Cresconis, archidiaconus, qui incepit populare: Mauratus por-*

1 Libro *dos foraes novos* fol. 66. & Brandaon loc. cit. fol. 4. col. 3.
2 Eodem lib. fol. 28.
3 *Monarq. Lusit.* lib. 12. cap. 4. fol. 6. col. 2. fin.

*portarius, qui incepit populare.* Oppido vero Pinhel idem forum, eademque privilegia & libertates, quas Rex Alfonsus Eboræ dederat, contulit his verbis: *Isti sunt costumes, quos Rex D. Alfonsus dedit populatoribus de Elbora pro benefactori, & dominus Rex Sanctius dedit illos cum filio suo domno Alfonso & filiis ac filiabus suis ad populatoribus de Pinel, videlicet, ut vicini de Pinel non faciant inde murum, nec castellum, nec dent pedidam, nec collectam ad Regem, nec dent portagem per totum* [1] *Portugale.* Item anno 1190. mense Octobri idem Sanctius Rex foros largitus est urbi Torresnovas, hodie familiam Morgadorum, ducesque de Aveiro dominos agnoscenti, cui eadem præscripsit jura, quæ urbi [2] Tomar. Anno 1199. urbi Guardæ forum concessit, & eodem quoque tempore oppido Idanhæ donavit ordinem equestrem Templariorum. Hæc urbs a Mauris dein recepta per Sanctium II. Regem foro novo donata fuit his ipsismet verbis: *Ego Sanctius II. Dei gratia Portugalliæ Rex, qui hanc civitatem Equitanensem a longis temporibus propter inimicos fidei desertam de novo populare mandavi apud Colimbriam in concilio generali de consilio Joannis, Dei gratia, Sabinensis episcopi, apostolicæ sedis legati, & episco-*

*po-*

1 Ibid. fol. 17. col. 3. cap. 11.
2 Ibid. fol. 17. col. 4.

*porum & baronum meorum, qui hanc chartam jussi fieri, & coram infra scriptis propriis manibus roborari, & meo sigillo feci communiri apud* [1] *Guardiam, Aera* 1267. *mense Aprili*, seu anno 1229.

XVI. Guardæ vero urbis forum datum die XXVI. Novembr. 1199. exstat in [2] archivo regio, civesque ipsius a Sanctio Rege in isto foro hoc privilegio donantur, ut *Miles de Agoarda stet pro infancione de toto nostro regno in judicio, & juramento, & pedes de Agoarda stet pro milite villano*; uti verba ipsa a [3] Brandaone citata sonant, ubi *miles* pro equite, *pedes* pro plebejo homine sumitur. *Pedes* autem *villanus* est, qui novus homo Latinis, aut ex gratia & rescripto regio nobilitate donatur, & equitibus natura talibus opponitur. Anno dein 1200. ipsis Kal. Apr. Rex Sanctius I. conditum ab episcopo Eborensi Pelagio forum urbi Benavente est largitus, exstatque illud in archivo regio turris [4] *do Tombo*. Anno 1202. forum urbi Guianes datum est sitæ in territorio Villarealensi, anno 1207. urbi Souto sitæ intra Durium & Minium, seu in Interamnensi Lusitania. Verba ejus postrema

1 Ibid. lib. 12. cap. 26. fol. 47. colum. 2. & 3. & *Torre do Tombo* lib. 3. *del Rey D. Dionis* fol. 55.

2 *Torre do Tombo* libro *dos foraes* fol. 27.

3 *Monarq. Lusit.* lib. 12. cap. 26. fol. 48. col. 3.

4 *Libro dos foraes da leitura velha* fol. 13.

ma sunt hæc: *Facta apud Covillianam menſe Auguſti Aera M. CC. XV. anno regni noſtri XXI.*

XVII. Sed abeamus ad tempora Sanctii II. Regis, qui poſt exacta negotia bellica etiam de pace & juſtitiæ adminiſtratione cogitavit, eumque in finem anno 1223. ipſe totum peragravit regnum, pluribus hinc inde oppidis novas largiendo leges foroſque. Primus eorum eſt forus oppido Sanguinhedo in territorio de Panojas ſito conceſſus. Subſcriptio ejus hæc eſt: *Ego Sanctius, Dei gratia Portugalliæ Rex, una cum domno Roderico Mendez, qui ipſam terram de me tenet, hanc chartam manibus noſtris roboravimus. Facta carta apud Mouſos* (in provincia Interamnenſi) *per manum Martini Joannis, mandante domno Roderico Menendo princeps terræ, & judex terræ Fernandinus, veſpera natalis domini, Aera milleſima ducenteſima ſexageſima prima,* [1] anno 1225. *in urbe Celeiros*: die VII. Maji oppido Corva (cujus terræ dominus tunc erat Vaſco Mendez) & die VIII. ejuſdem oppidis Noura & Murza, teſtibus Enrico Mendez, Martino Annes, Gundiſalvo Mendez, Aegidio Vasques & Garſia Mendez, archiepiſcopo item Braccarenſi Stephano, epiſcopo Portuenſi Martino, & Lamegenſi Pe-

1 *Torre do Tombo libro dos foraes velhos* fol. 5.

[1] Petro foros hos ſubſcribentibus: anno 1225. menſe Junio civibus oppidi Santacruz, cum multis privilegiis, & menſe Septembri ejusdem anni Avreiro, quæ videtur regio eſſe provinciæ ſeu [2] comarcæ de Villareal.

XVIII. Idem & eodem anno foros tulit urbi Ligoo, & anno 1229. urbi Elvas a Mauris receptæ, incipiunt. *Ego Sanctius ſecundus Rex Portugalliæ, filius illuſtris Regis domni Alfonsi, & Reginæ domnæ Urracæ, volo populare Elvas, quam habeo a Sarracenis*, cet. *Facta charta menſe Martio Aera M. CC. LXVII.* Dedit autem urbi huic idem forum, quod urbi Eboræ, & teſtium ſubſcriptiones, quas tædioſum nimis hic recenſere, ex [3] torre *do Tombo* annotavit [4] Brandaon. Anno 1233. forum tulit oppido Caſtelmendo, quod in [5] torre *do Tombo* aſſervatur. Sed ad Alfonſum nunc III. pergendum eſt, qui ſingulares quaſdam condidit leges, quas & Latina authentica & Luſitana vernacula exhibet [6] Brandaon, & nos operæ pretium ducimus Latine eas hic apponere, ut & genius illius ævi & gentis, ac modus leges tunc condendi eo clarius pateat.

1 Ibidem *libro dos foraes de leitura antiga* fol. 59.
2 Ibidem eodem libro fol. 67. & fol. 6. *dos velhos*.
3 *Archivo real, libro dos foraes de leitura nova*.
4 *Monarquia Luſitana* parte 4. lib. 14. cap. 7. fol. 126. col. 1. princ.
5 *Torre do Tombo libro I. del Rey D. Diniz* a fol. 38.
6 Lib. 15. cap. 13. fol. 193. col. 3. ſeqq.

teat. Sic autem in [1] archivo regio habetur: „ Aera M. CC. LXXXIX. xx. die Januarii „ dominus Rex Portugalliæ & comes Bolo- „ niæ fecit cum consilio suorum ricorum ho- „ minum, & suorum filiorum de algo ta- „ le encautum. In primis quicumque fuerit „ ad domum filii de algo, ut faciat ei ma- „ lum, pectet domino Regi CCC. mora- „ bitinos, & sanet malum, quod fecerit il- „ li, super quem fuerit ad domum; & hoc „ encautum pectet ille, qui fuerit dominus „ de facto, si habuerit per quod; & si non „ habuerit per quod, perctetur istud encau- „ tum domino Regi per omnes illos, qui „ ibi cum eo fuerint. Item quicumque ac- „ ceperit porcum, pectet domino Regi III. „ morabitinos, & illi, cujus fuerit, II. mo- „ rabitinos. Item quicumque in assunata ac- „ ceperit bovem, aut vaccam, pectet pro u- „ noquoque domino Regi VI. morabitinos, „ & illi, cujus fuerit, quatuor morabitinos „ pro unoquoque. Item quicumque acceperit „ carnarium, pectet domino Regi duos mo- „ rabitinos, & ille, cujus fuerit, medium „ morabitinum.

XIX. „ Item quicumque acceperit gal- „ linam, cauponem, cabritum, anxerem, „ aut leitonem, pectet domino Regi pro „ unoquoque singulos morabitinos; & illi,

„ cu-

1 *Torre do Tombo libro del Rey D. Alfonso III.* fol. 4.

„ cujus fuerit, quinque solidos. Item qui-
„ cumque ambulaverit & venerit ad aliquem
„ locum, ubi ei noluerint dare vendam, vo-
„ cet duos homines bonos, qui appretien-
„ tur illud, quod voluerit comparare pro
„ ad comedendum, & paguet pro eo, &
„ accipiat eum: & si noluerint ei homines
„ de loco appretiare, ipse, quod viderit pro
„ bono, appretietur, & paguet pro eo, &
„ accipiat illud. Item quicumque acceperit
„ alicui cappam, zurame, pellem, aut a-
„ liquam vestem, aut aliquod cooperimen-
„ tum, pectet ipsum in duplum usque ad
„ novem dies, & si illud non pectaverit,
„ remaneat in causamento de meirino, & pe-
„ ctet mihi pro unoquoque II. morabitinos
„ Item omnis laborator, qui non fuerit lan-
„ zarius, stet in pace, & nullus mactet i-
„ psum, non faciat illi malum pro homici-
„ dio domini sui: & si quis ipsum macta-
„ verit, aut ei male fecerit, pectet domino
„ Regi CCC. morab. & sanet ei malum,
„ quod ei fecerit. Item si quis mactaverit
„ inimicum suum, nihil accipiat illi de
„ quanto ei invenerit, postquam ipsum ma-
„ ctaverit: & quicumque ei aliquid acce-
„ perit, pectet domino Regi CCC. mora-
„ bitinos, & det illud, quod acceperit ei,
„ suis debitoribus, qui illud habuerint ha-
„ bere. Item omnia monasteria sint defen-
„ sa & amparata per dominum Regem, sic-
„ ut ante fuerunt per suum avum, & per
„ pa-

„ patrem suum, cet." Sequitur subscriptio magnatum & testium, quam hic apponere supervacaneum censeo.

XX. Sed & plures urbibus ac oppidis Lusitaniæ foros tulit idem Alfonsus III. Rex, anno videlicet 1256. incolis urbis Odemira, metropolis hodie comitatus ex antiquissimis totius regni, concedendo ei idem forum, quod Beja urbs tenebat. Verba sanctionis alia inter hæc sunt: *Ego Alfonsus, Dei gratia Portugalliæ Rex, & comes Boloniæ, motus inspiratione divina villam de Odemia populavi.* Idem & forum anno 1257. concessit urbi Montforte, nobili ducum Braganzæ municipio; anno item 1258. foros & eximia privilegia donavit urbi Estremoz quatuor leucis distanti a Montforte, in austrum sitæ in provincia de Alentejo, eosdem scilicet foros, quibus fruitur Santarem. Anno dein 1270. die V. Junii Villævizosæ ab Estremoz duabus leucis in ortum distanti; & aulæ ducum Bragantinorum leges præscripsit, ut silentio reliqua prætersam loca & urbes, quas novis incolis civibusque consevit, ac habitandas ædificandasque tradidit, seu, ut vulgo dicunt, populavit. Idem & in regno Algarbiæ fecit. Prima ejus regni urbs, cui forum tulit, Sylves fuit. Mense Augusto 1266. datum illud est, incipitque: *Ego Alfonsus, Rex Portugalliæ, una cum uxore mea Regina domna Beatrice, illustris Regis Castellæ & Legionis filia, & filiis ac filiabus*

*meis*

*meis Infantibus Domno Dionyſio, Domno Alfonſo, Domna Blanca, Domna Sanctia facio chartam de foro vobis populatoribus de Sylves forum, uſus & conſuetudines civitatis Ulyxbonenſis, excepta jugada de pane, quod vobis in perpetuum quito*, cet. prout legi hæc apud [1] Brandaonem poſſunt.

XXI. Eodem cum urbe Sylves tempore foros etiam accepere oppida Faro, Loule & Tavira, illique plane iidem fuere ejuſdemque cum Sylvenſi tenoris: excepto Faroenſi, ubi ſpeciatim hæc habentur verba a Rege Alfonſo III. prolata: *Item retineo mihi & omnibus ſucceſſoribus meis caſas & apothecam, quas ego ſolebam tenere, ex quo tempore accepi villam a Sarracenis. Item retineo mihi & ſucceſſoribus meis omnes tendas, quas Reges Sarraceni ſolebant tenere tempore Sarracenorum*, ut pluribus hæc omnia exponit [2] Antonius noſter Brandaon. Fateor, in nimiam excreſceret libellus hicce molem, ſi ulterius & ad hoc uſque ævum ſimili progredi modo vellem, & quicumque ſucceſſu temporis novi emerſerint fori urbium oppidorumque, ſuccincte enarrare. Quare ſufficiat hæc recenſuiſſe, ut exinde & modus jura municipalia antiquitus hoc in regno

V con-

1 *Monarq. Luſitana* parte 4. lib. 15. cap. 31. fol. 224. col. 3.

2 *Monarquia Luſitana* tom. 4. lib. 15. cap. 31. fol. 225. col. 3.

condendi, & quomodo ex illis dein foris leges regni generales exortæ fuerint, eo facilius cognosci perspicique queat.

XXII. Progressu dein temporis multa a variis Regibus accessere incrementa generalibus regni Portugalliæ legibus. Præ ceteris illustrem se celebratumque reddidit Dionysius Portugalliæ Rex, qui circa annum 1334. leges Portugalliæ ordinavit summa laude dignas, ut historici testantur, Petrus Mariz seu de Maris, Conimbricensis in [1] *Historia Regum*, [2] Eduardus Nonius gravis itidem antiquitatum patriæ illustrator, [3] Brandaon no-

1 (Quam iconibus Regum exornatam, & primus, quod sciam ex monumentis veteribus erutam edidit hoc titulo: *Dialogos de varia historià, em que sumariamente se referem muitas cousas antigas de Espanha, e todas as mais notavees, que em Portugal acontezeraon em suas gloriosas conquistas antes e depois de ser levantado a dignidade Real, e outras muitas de outros reynos dinas de memoria, com os retratos de todos os Reis de Portugal.* Coimbræ primum 1594. in 8. apud Ant. de Mariz, post 1597. in 4. ibid.) Dialogo 3. pag. 100. edit. prioris.

2 Lingua vernacula *Edoardo Nunhez de Liano* dictus, Eborensis, J. C. & senator regius in suprema Ulyssipponis curia in parte I. *das chronicas dos Reis de Portugal*, Ulyssippone in fol. 1600. edita, in vita Regis Dionysii. Reliquæ partes adhuc latent manuscriptæ Antonio teste in *Biblioth. Hisp.* tom. 1. fol. 260. col. 2.

3 Fr. Antonius Brandaon, monachus Ord. S. Bernardi Cisterciensis in Alcobacensi monasterio, & Em. Menesii in supremi regii historici officio successor, laborem Bern. Britti itidem monachi ibid. & historiographi non sine laude continuavit, edendo III. & IV. partem *Monarchiæ Lusitanæ* Ulys. apud Craesbeckios 2632 in f. Franciscus dein (Antonii, ut credo, ex fratre nepos) Brandaon edidit V. partem, quæ ab an.

1276.

noster; [1] Garibajus & [2] Cl. Clemens, ut reliquos omittam. Hic posterior speciatim id reliquit memoratu dignum, ab hoc Dionysio Rege emanasse in Lusitania consuetudinem, quod illic, quibus indictos pro jure appellandi viginti tres denarios facultas solvendi nulla esset, flexo genu orationem dominicam *Pater noster*, & Angelicam salutationem *Ave Maria*, in animæ Regis istius salutem recitarent.

XXIII. Cum ergo, quod generales attinet Lusitaniæ leges, nihil memoratu occurrat dignum in historia hujus gentis, a Dionysii inde Regis tempore ad Joannem usque II. ad eum nunc convertimur, & quid sub ipso acciderit memorabile in legum juriumve historia, explicandum sumimus. Novas hic Rex Lusitaniæ leges seu constitutiones edidit numero XLII. quibus antiquas tum Alfonsi II. tum Dionysii, aliasque partim im-



1279. usque 1302. procedit, ibidem excusam an. 1650. in fol. VI. etiam pars, quæ ad an. 1325. pergit, ibidem lucem vidit 1672. in fol. & VII. quæ ad annum usque 1356. pertingit, edita est a Fr. Raph. de Jesu, itidem monacho & historiographo regio Ulyssippone 1683. in fol. Reliquæ partes an prodierint, nescimus.

1 Libro 34. *del compendio historial de España* cap. 22. in fine.

2 In *Tabulis chronologicis* pag. 138. princ. cui & adjici merentur Jo. Mariana in *historia general de España*, & Em. Faria de Sousa Lusitanus, eques ord. S. Christi, tum in *Europa Portuguesa* tom. 2. in vita Dionysii Regis, tum in *Epitome de las historias Portuguesas* Madriti 1628. in 4. edita.

mutavit, emendavitque, partim adauxit, promulgarique illas fecit Ulyssippone ad diem XVIII. Nov. anni 1419. robur illis vigoremque legum per universum observandarum regnum conciliando. Mirari equidem satis nequeo, nullam istarum legum uspiam apud historicos Lusitanos exstare memoriam, doleoque, *Monarchiam Lusitanam*, cujus auctores curiosi satis in his talibus annotandis esse solent, ad hæc usque Joannis tempora nondum esse continuatam, lucemque vidisse.

XXIV. Edocemur tamen a [1] Nic. Antonio, qui & hæc omnia, quæ jam protulimus circa constitutiones istas, nobis suggesit, nec his legibus suum defuisse commentatorem. Jo. is est DE MELLA, Hispanus ex Zamora, nobili regni Legionensis urbe oriundus, ubi primam aspexit lucem an. 1397. Salmantina in universitate bonis litteris jurique operam dedit, ibidem jurisi-canonici creatus doctor, decretales epistolas ex superiori cathedra professor est interpretatus. Romam postea concessit auditor celebris ibidem JCtorum rotæ seu senatus; constitutus ab hinc decanus ecclesiæ cathedralis Coriensis, post & archidiaconus Madritensis, & præsul dein seu episcopus Zamorensis; tandemque a Calixto V. Pont. purpuratorum seu cardinalium ascriptus concilio an-

1 In *Biblioth. Hisp. veteri* tom. 2. lib. 10. cap. 10. §. 511. pag. 186. fin.

anno 1456. Romæ, ubi postremam exegit ætatem, diem obiit die XIII. Oct. anno 1467. ætatis agens annum LXX. prout apparet ex epitaphio, cujus exhibet apographum Antonius noster. Opus autem istud, quod commentatus hic noster est ad leges seu constitutiones istas, M. S. adhuc in scriniis latet hoc titulo insigne: *Portugalliæ leges XLII. seu constitutiones Regis Portugalliæ Joannis anno* 1419 *die XVIII. Nov. promulgatæ in civitate Ulyssiponensi, & glossatæ per* Jo. DE MELLA, *seu de cognitionibus propriis regalium seu ecclesiasticorum tribunalium.* Ita nimirum codex hic M. S. recensetur in catalogo [1] biblioth. Vaticanæ MStorum. Reperitur & in eadem [2] bibliotheca alius codex M. S. a MELLA nostro conscriptus cum hoc titulo: *Allegationes factæ per* Jo. DE MELLA *super XLII. legibus factis per dominum Regem Portugalliæ anno XXVII. VI. Julii, Romæ de mandato dominorum sancti Martini & Bononiensis cardinalium*, cet. Incipit autem: *Reverendissimi patres ac domini præclarissimi.* Liber hic an a priori alius sit & diversus, an unus idemque cum illo, vix dixerim. Antonius equidem unum saltim autumat ac recenset.

XXV. A Joanne II. ad Emanuelem progredimur, felicissimum illum & tot re-



1 Codice 2617. pag. 19.
2 Codice 2688.

rum præclare gestarum gloria insignem Lusitanorum Regem. Nescio autem, quo fato, aut potius historicorum hujus regni incuria factum est, ut res quidem bello gestas omni sedulitate & accuratione, pace autem justitiæque in administratione peractas, ne digito quidem attigerint, merito ejus rei culpam in Marizium, Sousam, Jo. Caramuelem a Lobkowiz, Garibajum, aliosque, qui ad manus nobis sunt, & silentio prorsus præteriere ea, quæ nos hic tangunt, rejicimus. Depromam tamen, quæ alibi hoc de Rege investigare mihi licuit. Tribuitur nimirum ei collectio legum constitutionumque Portugalliæ a prædecessoribus suis sparsim latarum; illas enim compilari, in systema redigi, valore legum muniri, & sub titulo: *Ordenanzas de Portugal* seu *Ordinationes Portugalliæ*, publicari jussit. Testantur id JCti Lusitani, ex quibus nominasse sufficiat [1] Alvarum Valascum, [2] Georg. Cabedo, utrumque inferius laudandum. Nobis MStas illas videre licuit in bibliotheca regia Parisiensi, in volumine sat amplo, libris V. distinctas in fol. exstantque in catalogo, si recte notavi, numero 10258.

XXVI. Accessere post Emanuelis Regis tempora ordinationes novæ, quæ, quoniam extra systema jam memoratum ordinationum Lu-

1 In *Decisionibus Lusitanicis* passim.
2 In *Decisionibus Lusitan.* decis. 211. part. 1. n. 6.

Lusitaniæ vagantur, *Extravagantes regni* audiunt, similitudine ex jure pontificio canonico petita. Quo autem illæ tempore congestæ fuerint, cujus Regis jussu & auctoritate, quo compilatore, equidem cum ignarissimis scio. Sæpissime autem citatas illas a JCtis Lusitanis offendere mihi licuit; nec minus me latet, num illæ sint, quarum codicem olim me vidisse memini in regia Parisiensium bibliotheca splendidissima. M. Stus ille erat, continebatque diversas Regum plurium constitutiones, auctore tamen vel collectore prorsus omisso; exstare eumdem in fol. bene novi, & in indice reperiri MStorum num. 10523. ut in schedis meis notavi. Cetera de *extravagantibus* illis omnino me fugiunt, nec apud Barbosam, Cabedum, Valascum, Gamam aliosque plura detegere de illis licuit. Typis impressa publicis jurium Portugalliæ systemata quod attinet, prodiere *Ordinationes Portugalliæ* seu *Constitutiones*, ut Barbosæ audiunt, libris V. distinctæ lingua vernacula Lisboæ seu Ulyssippone anno 1602. in fol. *Repertorium* etiam in easdem est, qui construxit, quod, suppresso tamen auctoris nomine ibidem prodiit anno 1604. itidem in fol. & vernaculo etiam seu Lusitano idiomate.

XXVII. Et hæc sunt quæ de legibus hujus regni edisseri a nobis potuere, antequam vero ad earumdem glossatores commentatoresque abeamus, & fori Lusitani praxeos da-

duchos, commode de ratione adminiſtrandæ justitiæ, quæ illic obtinet, pauca proferendi hic ſe offert occaſio. Generatim autem per univerſum regnum in oppidis pagisque hic obtinet ordo. In urbibus oppidisque ac municipiis Regis (illa enim, quæ nobilibus magnatibusve parent, excipiuntur) eſt judex ſeu juridicus legum peritus, qui vulgo *Juiz de fora* (ad diſtinguendum eum a reliquis judicibus ordinariis, qui in urbibus, ubi nullus *juiz de fora*, eliguntur quolibet anno, & a regio ſupremo ſenatu confirmantur) audit; isque cognoſcit de negotiis civilibus æque ac criminalibus, attamen exſequutionem mandare nequit in cauſſis ſummam 4000. *reis* in bonis immobilibus, & 5000. in mobilibus, (330. autem *reis*, ni fallor, uncialem ſeu imperialem argenteum efficiunt) nec mulctæ, cum irrogantur, 1000. *reis* excedant oportet, nec appellari ab his poteſt, cum abſoluto gaudeant judicio.

XXVIII. Judices ordinarii oppidorum, quorum incolarum numerus ducentos ſuperat, jurisdictionem abſque appellationibus exercent in cauſſis valorem 400. *reis* in fundis, & 1000. in mobilibus bonis, & mulctas indicunt ſummam 400. *reis* non excedentium; ubi autem numerus incolarum major eſt ducentis, in mobilibus non ultra 600. *reis*, & in fundis 400. ſummam in jus vocant, majoris pretii cauſſas exſequutioni mandare nequeunt,

queunt, antequam sententia a *tribunali relationis*, ut vocatur, quorumque duo in hoc regno sunt, Ulyssipponense & Portuense, in cujus territorio res agitur, confirmetur. Ad hæc autem duo prætoria seu tribunalia referuntur omnes lites ac processus civiles æque ac criminales, quæ in universo regno occurrunt, nisi quod minoris momenti caussæ quandoque a correctore districtus (*corregidor da comarca*) deciduntur. Præter judices enim istos per totum regnum singulaque ejus territoria vel regiones (*comarcas* vulgo vocant) judices illi seu *corregidores* constituti sunt, quorum quisque territorium suum sive *comarcam* quotannis perlustrare ac revisere tenetur, ut de appellationibus, quæ a judicibus *de foro* seu extra ordinem, & ordinariis fiunt, cognoscant, & a *corregidoribus* istis rursus ad tribunal relationis provocatur, in eoque res vel caussa protenus definitur.

XXIX. Est & in singulis comarcarum seu regionum *provisor* quidam (*proveedor* vulgo) qui exsequutioni testamentorum legatorumque præest, pias item operas seu montes pietatis, ac res ad ecclesiam ejusque usum destinatas curat. Sunt & senatores seu auditores (*ouvidores*) in terris nobilium, qui jurisdictionem exercent etiam in *corregidorum* territoriis. In urbe Ulyssipponensi etiam tribunal est rerum civilium, in quo judices duo, actuarii novem, unus distributor, octo

cto inquiſitores, qui una cum judicibus criminalibus, actuariis, & magiſtro rationum munera obeunt. Judices vero hi abſolute judicant in cauſſis ſummam 4000. *reis* in immobilibus, & 5000. in mobilibus bonis non excedentibus. Item adſunt duo *corregidores* cauſſarum civilium in hac urbe, cum quibus aſſident ſex ſcribæ ſeu actuarii, totidem inquiſitores, duo diſtributores, judicantque de rebus immobilibus 8000. *reis*, mobilibus vero 10000. ſummam conſtituentibus, quæ majoris pretii ſunt cauſſæ ad ſupremum tribunal devolvuntur. Idem & obtinet in criminalibus, ubi quatuor *corregidores*, totidem ſcribæ aulici (*eſcrivanos de corte*) & unus inquiſitor aſſident.

XXX. Plura ſunt tum Ulyſſippone, tum aliis in urbibus oppidiſque ejuſmodi tribunalia, quæ nil nunc moramur, & ad ſupremum tribunal (*caza da ſuppricazaon*) pergimus. Appellatur id alio nomine *tribunal da relazaon* ſeu relationum, conſtatque decem conſiliariis appellationum (*deſembargadores dos aggravos & appellazoens*) duobus correctoribus criminum curiæ, totidemque rerum civilium, duobus judicibus *dos feitos da coroa & fazenda*, ſive coronæ fiſcique regii cauſſas tractantibus, quatuor auditoribus appellationum in criminalibus, procuratore cauſſarum coronæ, duobus fiſci regii, judice cancellariæ (*juiz da chancellaria*), promotore juſtitiæ (*promotor da juſtiza*), & quinde-

decim consiliariis extra ordinem constitutis (*desembargadores extravagantes*), sollicitatore justitiæ (*solicitador de la justiza*), octo scribis seu actauriis appellationum (*escrivanos dos aggravos*), distributore (*distribuidor*), & thesaurario depositorum in curia (*thezoureiro dos depositos da corte*), & scriba redituum curiæ (*escrivano das finanzas da corte*), janitore, præconibus, & quadraginta procuratoribus caussidicis, plus minusve ad arbitrium Regis, & præside senatus, qui *regedor da justiza* audit, & ex primaria nobilium classe est, sacellano item, & receptore pecuniæ pro expediendis caussis impendendæ, cum scriba suo.

XXXI. Consiliarii hujus tribunalis per modum distributionis processuum cognoscunt de caussis, quæ per viam appellationum ex tribunali Portuensi eo devolvuntur in rebus civilibus valorem 100000. *reis* in mobilibus, & 80000. in immobilibus excedentibus; item de caussis, quæ ab judice *das auzoes novas* sive auctionum novarum Portuensi ad tribunal hoc appellando devolvuntur, dictasque summas superant; item de appellationibus, quæ fiunt ex aliis dicasteriis; correctoribus aulicis (*corregedores da corte*), judice Indico & minarum (*juiz da India & mina*), & a correctoribus urbis Ulyssipponensis, judice Germanæ nationis, & conservatoribus, seu senatu academico universitatum Conimbricensis & Eborensis. Item in

caus-

caussis civilibus a judice rerum civilium, & orphanorum Ulyssipponensi, ab auditore *da alfandega*, quod est Ulyssippone, ubi pro importandis variis mercibus telonium solvitur, & insimul horreum est, seu *magazin* aulæ & urbis, & ab aliis territoriis Lusitanarum urbium, cet. generatim in omnibus caussis civilibus & criminalibus, quæ ob valorem nimium in Portuensi decidi nequeunt, ad hoc tribunal provocatur. Est hic cancellarius, qui sigillo sententias & decreta munit, & scribarum actuariorumque de erroribus ac salariis cognoscit, sub se habens scribam, exsequutorem & janitorem.

XXXII. Aliud tribunal est *caza do civel*, quod olim quoque Ulyssippone sedem habuit, sed a Philippo I. Portugalliæ Rege in oppidum Porto translatum est, ad consulendum utilitati vicinarum illi urbi gentium paupertate oppressarum, auctis simul stipendiis judicum senatorumque ac præsidis. Tribunal hoc caussas solum 100000. & 80000. *reis* valoris decidit, ut dictum jam est. Tandem supremum omnium tribunal, majorisque ac omnia reliqua auctoritatis est, *o desembargo do pazo*, sive senatus palatii. Præsidet ei ex primis nobilium quidam, assident quinque senatores seu *desembargadores*, septem scribæ, cum cursore ac janitore, thesaurarius item, qui mulctarum relaxationumque gerit rationem ad latus habens actuarium. Tribunal hoc ubivis aulam prose-

sequitur regiam, & nomine Regis pronuntiat. Revidendas eorum, qui a domo supplicationis judicati sunt, caussas tradit novem senatoribus; prospicit item de muneribus judicum, correctorum provisorumque totius regni, gestique officii ab illis exigit rationem. Omnia etiam privilegia nomine Regis concessa expedit, instrumenta legitimationum, donationumque, famæ restitutionis, officiorum judicum ordinariorum & orphanorum, litteras protectionis majorennitatis, in criminalibus etiam mitigat poenam mortis, & alia plura; Rex & summatim omnes caussas civilium æque ac criminalium ad hoc tribunal remittit.

XXXIII. Tandem & diversum adhuc a prioribus est tribunal *dos feitos del Rey & da coroa* dictum, in quo XII. viri de rebus ad Regem ipsum coronamque spectantes tractant, Regemque in jus vocant, sive a subjectis accusetur, sive eosdem criminis in se coronamque reos velit. Est & cancellarius major, qui est *chanceler da chancelaria da corte*, & jurisdictionem exercet in omnes scribas curiarum, signumque, quo muniuntur omnium curiæ tribunalium sententiæ ac decreta, custodit. In cancellaria sua est judex, scriba, thesaurarius & janitor. Privilegia etiam donationesque a Rege factas firmat. Alius item est cancellarius regni, alius urbis Ulyssipponensis, alius ordinum equestrium; est & judex cancellariæ

unus

unus ex senatorum seu *desembargadorum* numero, qui de officialium cancellariæ caussis atque agendis cognoscit. Hæc sunt, quæ de juris dicendi modo in hoc regno familiari dici potuere, depromta maximam partem ex Fr. Nic. de Oliveyra, Ord. S. Trinitatis, patria Ulyssipponensis libro [1] *das grandezas de Lisboa*, ex quo mutuatus sua est Rerump. quæ apud Elzevirios prodiere superiori sæculo, collector, qui ex Oliveyra plurima in *Republica Portugalliæ* anno 1641. excusa deprompsit.

XXXIV. Reliquum nunc est, ut pergamus ad eos, qui ob elucubratas in leges ordinationesque Lusitanicas glossas commentariosque produci in hanc scenam merentur. Primus, qui nobis occurrit, ante alios quoque recenseri meritus, EMANUEL BARBOSA, celebris Augustini inferius laudandi minoris haud famæ pater. Guimaranensis fuit patria, & inter gentis suæ JCtorum primos merito collocandus. Advocatum egit provinciæ patriæ, & per totum vitæ tempus in decrepitam usque senectutem insudavit legibus patriis commentandis. Opera sua duobus tandem tomis edita fuere, quorum prior sic inscribitur: *Remissiones doctorum de officiis publicis, jurisdictione, & ordine judicario in li-*

1 Ulyssippone edito apud Georgium Rodriguez 1620. in 4. *tratado* 6. cap. 2. fol. 143. cap. 3. fol. 146. & cap. 5. fol. 152.

*libros I. II. & III. constitutionum regiarum Lusitanarum, cum concordantiis utriusque juris, legum Partitarum, Ordinamenti, ac novæ Recopilationis Hispanorum.* Prodiit autem hic tomus post secundum Ulyssippone apud Petrum Craesbeck 1620. in fol. ideoque & adjectæ ei sunt castigationes & additamenta ad secundum; qui inscribitur: *Remissiones doctorum ad contractus, ultimas voluntates & delicta spectantes, in libros IV. & V. constitutionum regiarum Lusitanorum,* & ibidem iisdemque typis prodiit an. 1618. in fol. Dispersa hæc opera collecta fuere ab Augustino, & patre adhuc superstite, qui nonagesimum superavit ætatis annum, & anno adhuc 1638. in vivis fuit, quo anno tractatum *de episcopi potestate* filius Augustinus edidit, cujus tit. 3. cap. 8. parentis inter vivos meminit.

XXXV. Augustinum autem Barbosam filium quod attinet, is vir fuit πολυμαθέστατος, itidem Guimaranensis. Vitam ejus eleganter descripsere Janus Nicius Erythræus, seu potius [1] Jo. Victor de Rossi in *Illustrium virorum pinacotheca*, & [2] Nic. Antonius. Post exacta in patria litterarum jurisque studia Romam ad curiæ Romanæ praxin ediscendam contendit, ibique plurimum vitæ tempus exegit, nec, licet thesau-

1 Parte 2. loculo seu num. 18.
2 *Biblioth. Hisp. novæ* parte 1. fol. 134. col. 2. seq.

saurarii ecclesiæ patriæ munere a Pontifice ornatus, Romam deseruit, sed in egestate illic vixit, & bibliopolia, quod libris ipse careret, assidue frequentavit, summa præditus memoria in tantum, ut quæ per totum diem apud bibliopolas legerat, litteris mandaret, &, ut ipse de se alicubi fatetur, ubi libros edere typis cœpit, nocturnas horas studiis & lucubrationibus, diurnas typographicarum operarum curæ & correctioni impenderet. Tandem circa annum 1632. reversus in Hispaniam Madriti substitit judex caussarum ecclesiasticarum, & anno 1648. a Philippo IV. Rege Uxentinus Hydruntinæ in regno Neapolitano ecclesiæ episcopus constitutus Romam repetiit, ubi die XXII. Martii anni sequentis eo muneri inauguratus fuit, ast vix septem exactis illic mensibus ad plures sexagenarius abiit, in Uxentina, cui præfuit, ecclesia sepultus, ubi & a Simone Vasio Barbosa fratre germano, Guimaranensi canonico exstructum ejus epitaphium legitur, quod apud [1] Ferd. Urghellum legere est. Scripta ejus maximam partem juri canonico lucem afferentia exhibet Antonius, quare ea prolixe hic recensere supersedemus; nec plagii etiam, cujus ex [2] Erythræo Morhofius aliique eum incusant, memores futuri.

XXXVI.

1 *Italiæ sacræ* volumine 9.
2 *Polyhistoris* lib. 1. cap. 9. pag. 83.

XXXVI. In universum quoque jus Lusitanum vastum aliquot voluminum opus meditatus est MATTHAEUS HOMEN LEITANO (seu LEITAON vernacule) Lusitanus ex oppido Bragantiæ (Regum, qui hodie sceptra illic gerunt, incunabulis illustri) oriundus. Juris primo egit cathedraticum seu professorem; curiæ dein Braccarensis senatorem, inquisitorem demum fidei apud Eborenses primum, post apud Conimbricenses. Ex vasto autem isto opere non nisi pars quædam lucem publicam aspexit inscripta: *De jure Lusitano tomus I. in tres tractatus divisus, quorum primo de gravaminibus: secundo de securitatibus, tertio de inquistionibus tractatur*, prodiitque typis [1] Conimbricensibus anno 1645. in fol. Huic subnectimus JO. MATTHIAM (vel, ut alibi audit, MARTANEZ) DACOSTA, Lusitanum itidem, J. U. D. & in Ulyssipponensi suprema curia caussarum patronum. Is enim & leges patrias & fori praxin dilucide admodum pertractavit in peculiari libello, cui talem præfixit titulum: *De domo supplicationis curiæ Lusitanæ, Ulyssipponensis magistratus stilo, supremique senatus consultis.* Ulyssippone apud Ger. de Vinea anno 1622. in fol. Confer [2] Nic. Antonium.

X XXXVII.

1 Nic. Antonius in *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 2. pag. 92. b. med.

2 Ibid. tom. 1. pag. 565. col. 2. med.

XXXVII. Non possum, quin stilo Francisci Caldas Pereiræ de Castro hic prædicem Ant. Corream de Saa, Lusitanum quoque, & senatorem in regio tribunali; sic autem ille de hoc nostro in eleganti [1] *de jure emphyteutico* tractatu, & quidem in epistola illius dedicatoria: Antonius Correa, *J. C. excellentissimus in libros V. ordinationum criminalis fori, & judicialis aulæ quamdam velut isagogen eleganti stilo & multis rhetorum flosculis aspersam dextro omine auspicatus, postquam prelo suas vigilias commiserat, paucis paginis absolutis decessit.* Dubius equidem hæret [2] Nic. Antonius, qui hæc quoque recenset, num umquam illa lucem aspexerint integra & perfecta, [3] Lipenius tamen impressa Ulyssippone asserit, anni autem formæque nullam addit mentionem.

XXXVIII. Nec inutilem fori Lusitani praxeos studiosis operam navavit duplici insigni opere Emanuel Mendez de Castro. Ulyssipponi natales debet, Conimbricæ juris Cæsarei ex cathedra *Voluminis*, ut audit, professor, patronus caussarum dein in regia Madritensi curia suprema. Fori patrii

1 Habetur inter ejus opera vol. 3. editionis Paltheniana, quæ Francf. excusa est anno 1619. in fol. 4. vol.

2 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 89. col. 1. med.

3 *Biblioth. jurid.* tit. *Portugallia.*

trii praxin peculiari illustrandam sibi sumsit opere, cui titulum fecit: *Practica Lusitana*, ipsumque in V. divisit libros, alterumque adjecit utile huic argumento opus, *ducentas* nempe *quadraginta novissimas senatus Lusitani decisiones*. Binis vicibus, quod sciam, typis impressum junctim opus hocce prodiit: priorem quidem editionem nec [1] Antonio, nec nobis videre licuit alteram tamen, quæ auctior priori edita est Ulyssippone typis Georgii Rodriguez anno 1621. in 4.

XXXIX. Cum decisionum jam facta sit mentio, haud e re fore arbitror, si reliquos Lusitanorum, qui idem pertractavere argumentum, hic subjungam. Ex primis numerandi veniunt Alv. Valascus & Ant. Gama, uterque Lusitanus. Ille, alio quoque nomine Vas dictus, J. C. fuit & antecessor primo juris in Conimbricensi academia, advocatus postea curiæ supremæ Ulyssipponensis, tandemque in eadem senator. Scripsit, edique, dum viveret, curavit *Decisionum, consultationumque ac rerum judicatarum in regno Lusitaniæ librum I.* qui Ulyssippone prodiit anno 1588. in fol. apud Petrum Craesbeck, post & Spiræ Nemetum apud Bern. Albanium 1597. in 4. Item *Quæstionum juris emphyteutici partem I.* Ulyssippone anno 1591. in fol. & 1611. in fol.



1 In *Biblioth. nov.* tom. 1. pag. 296. col. 1. med.

apud Craesbeckium editam. Post ipsius obitum autem a filio Francisco, doctissimo itidem J. C. & professore Coimbræ, editus ex schedis paternis fuit *Decisionum & consultationum liber II.* Ulyssippone anno 1601. in fol. Prodiere dein ambo junctim Venetiis anno 1609. in fol. apud Juntam; item Francof. 1650. in fol. ut & Antuerpiæ 1621. in 4. editionem Francofurtensem an. 1608. quoque vidi in fol. in catalogo bibliothecæ Didaci de Arce & Reynoso num. 390. inter JCtos. Idem & Franciscus filius quoque edidit postumum patris fetum, *Praxin partitionum & collationum inter heredes.* [1] Ulyssippone anno 1605. & Venetiis 1609. in fol.

XL. Iste vero, (Ant. puto de Gama) J. C. fuit, sodalis olim in Hispanorum collegio Bononiensi, unde Joannes II. Portugalliæ Rex ad gerendam remp. eum evocavit, senatoremque regiæ curiæ Ulyssipponensis constituit. Cetera vir fuit eruditionis haud proletariæ magnique apud suæ gentis JCtos nominis, doctissimi & insignis senatoris titulo a plurimis ornatus; celeberrimi & doctissimi consiliarii encomio eum mactat [2] Ignatius Lopez de Salcedo; doctissimus sacri palatii senator audit [3] Francisco de Caldas Pe-

1 Nic. Ant. in *Bibliotb. nov.* parte 1. pag. 49. col. 1. fin. & alii.

2 In notis ad *praxin canonicam* Jo. Bern. Diaz, cap. 74.

3 *De renovatione emphyteuseos* lib. 1. quæst. n. 1. fin.

Pereira; insignis senator [1] Melchiori Phoebo; illustris atque integerrimus regius consiliarius [2] Alvaro Valasco. Sed, ut ad ejus opera procedam, scripsit *Decisiones supremi Lusitaniæ senatus*, Ulyssippone 1578. in fol. apud Em. Joannem, Francof. 1599. in fol. Quæ his posteriores sunt editiones, gaudent *Additionibus ac commentariis in* A. GAMAE Decisiones *Blasii Florez* DIAZ DE MENA, Carminensis ex Legionis regno, ac in oppido Castellæ veteris, S. Facundi nomine insigni, vulgo *Sahagun*, caussarum patroni. Editæ illæ sunt cum ipsis GAMAE decisionibus hoc titulo: *Lucubrationes in decisiones in supremo Lusitaniæ senatu olim decretas, & per* ANT. GAMA *doctissimum senatorem digestas*. Ulyssippone anno 1603. in fol. Madriti 1621. in fol. (ubi adjectus in fine GAMAE *tractatus de sacramentis præstandis ultimo supplicio damnatis, ac de testamentis, anatomia, & eorum sepultura*, qui seorsim antea Ulyssippone prodierat an. 1554. in 4.) item Antuerpiæ 1650. in f. adjectæ etiam sunt CASP. ANT. THESAURI *additionibus ad novas decisiones senatus Pedemontani* in editione Hamburgensi anno 1655. in 4.

XLI. Fortiter etiam in hac desudavit palæstra GEORGIUS CABEDO, Cetobricensis Lusitanus, patre natus Michaele, viro no-



1 Decisione 6. tomi 1. num. 9.
2 *Decis.* t. 1. consult. 3. n. 5. pag. mihi 25. med.

nobili, (cujus celebris itidem JCti epitaphium, quod in æde S. Crucis erectum anno 1577. quo obiit, nobis exhibet Otto Aicher in *Theatro funebri* parte 3. scena 4. pag. 276. in fine, vitamque recenset [1] Andr. Schottus) Conimbricæ studia juris pertractavit sodalis ad D. Pauli collegium; anno dein ætatis 41. reip. gerendæ admotus prætor regius Ulyssipponensibus jus dixit, mutatis dein rebus in Lusitania a Philippo II. Hispaniæ, I. Portugalliæ Rege in suprema Lusitaniæ Madritensi curia senator constitutus est. Idem, in quo nunc occupamur, argumentum is peculiari opere tractavit, ita inscripto: *Practicarum observationum, sive decisionum supremi senatus regni Lusitaniæ pars I.* seorsim hæc prodiit Ulyssippone apud Petr. Craesbeck 1602. inscripta Regi Philippo III. in fol. Pars II. in qua de donationibus regiis circa jurisdictionalia & jura regalia tractatur, eidem Regi nuncupata seorsim quoque Ulyssippone apud eumdem Craesbeck edita est anno 1604. in fol. junctim dein ambæ excusæ Antuerpiæ an. 1619. & 1620. in fol. & rursus anno 1635. itidem in fol. Offenbachii etiam in Germania superiore recusæ anno 1610. in fol. & Francof. ad Moenum anno 1646. in fol. adjunctaque utrique parti sunt *Arresta Lusitani*

*se-*

1 In *Biblioth. Hisp.* tom. 3. clas. 2. pag. 509. seq.

*senatus*. Auctor hic etiam peculiare & elegans admodum opusculum publicavit de *Patronatibus ecclesiarum regiæ coronæ regni Lusitaniæ*, quod Ulyssippone prodiit anno 1603. in 4. ut [1] Nic. noster Antonius testatur.

XLII. Excipit Cabedum Melchior Phoebus, Ulyssipponensis, J. C. & in suprema curia patriæ caussarum patronus, vir eruditissimus, & qui inter hujus argumenti primores collocari meretur ob editos insigni studio & labore exquisitos *Decisionum senatus regni Lusitani* tomos duos, quos typis recudi curavit Ulyssippone anno 1572. in fol. ibid. rursus apud Petr. Craesbeck anno 1619. & 23. in f. Multam quoque commeritus laudem est Gabr. Pereira de Castro, Francisci de Caldas Pereiræ, de quo supra, filius, Braccaræ in urbe archiepiscoli natus, ordinis Sancti Christi eques, & post obita varia in rep. patria munia curiæ Ulyssipponensis senator, (vernacule, ut supra dictum, *desembargador* audit *dos aggravos de caza da supricazaon*) juridica, judice [2] Antonio nostro, solide & cum judicio, musica, quorum apprime gnarus fuit, summa elegantia & majestate carminis tam popularis, quam Latini, tractavit. Illuc faciunt



1 In *Biblioth. nov. Hisp.* tom. 1. pag. 411. col. 1. med.

2 In *Biblioth. nov. Hisp.* part. 1. pag. 389. col. 1. fin.

*Decisionum supremi senatus Portugalliæ liber I.* Ulyssippone editus anno 1611. in fol. seu, ut alibi legi, 1621. item *de manu regia tractatus, in quo omnium legum regiarum, quibus Regi Portugalliæ in caussis ecclesiasticis cognitio est ex jure, privilegio, consuetudine, seu concordia, sensus & vera decidendi ratio aperitur*, qui liber Philippo IV. Hispaniæ Regi inscriptus prodiit Ulyssippone anno 1622. in fol.

XLIII. Sed theologum quoque in hanc scenam adducimus. Benedictus is est Pereira Borbensis Lusitanus, ex Jesuitarum sodalitio, Benedicti Fernandi celebris in *Genesin* commentatoris ex sorore nepos, Eborensi in Academia humaniores docuit litteras, post & theologiam ex cathedra primaria, emeriti tandem privilegiis donatus. Hic præter plurima alia theologici philosophicique argumenti etiam scripsit *Promtuarium resolutionum universæ theologiæ moralis*; cujus dein ad exemplar quoque condidit *Promtuarium resolutionum universi juris Lusitani.* Meminit ejus auctor ipse in dedicatione, quam libro suo *de jure academico Ulyssippone apud Ant.* Craesbeck de Mello an. 1662. in fol. præfixit *ad S. Mariam Virginem.* [1] Lipenius equidem Eboræ in fol. editum, qua id autem fide narret, nescio. An-

1 In *Biblioth. juridica* tit. *Portugallia.*

[1] Antonius certe inter MSta numerat; nobisque videre illud haud contigit.

XLIV. Particularia nonnulla juris Lusitani capita sunt qui peculiaribus pertractanda sibi sumsere libris. Varias ejusmodi quæstiones elucidavit DOM. HOMEM DE ALMEIDA, Lusitanus, senator regius Portucalensis seu Portuensis tribunalis, dein Ulyssipponensis curiæ supplicum precum (*caza da supricazaon*) post exactas alias minorum gentium præfecturas. Liber ejus docte satis scriptus prodiit hoc titulo: *Nonnullæ allegationes super variis juris quæstionibus; ad praxin fori Lusitani conducentibus.* Ulyssippone apud Ant. Alvarez anno 1643. in fol. Idem hic auctor quoque, [2] Nic. Antonio teste scripsit *Analysin excellentiarum in jure numeri quinarii*, qui liber ob argumenti raritudinem commendari meretur, eique *allegationes* illæ adjectæ, & simul cum ipso prodiere.

XLV. Materiam debitorum, ærisve alieni ad leges Romanas, Castellanas Lusitanasque examinandam ac illustrandam peculiari quoque opere sibi sumsit LUD. SANCHEZ DE MELLO, Lusitanus, J. C. & Ulyssippone primum, post Hispali & Malagæ

præ-

1 In *Biblioth. Hisp. novæ Appendice* tom. 2. pag. 284. col. 1. &. 2.

2 *Biblioth. Hisp. novæ supplem.* tom. 2. fol. 673. col. 2.

prætoriorum advocatus. Libri titulus hic est: *De induciis debitorum a creditoribus suis, aliisque personis concedendis, vel non, ad Justinianum Cæsarem in libro ultimo Codicis:* Qui bonis cedere possint, & *municipales leges regni Castellæ & Lusitaniæ.* Malacæ anno 1642. in 4. Hoc in opere auctor *singularium responsorum*, itemque *singularium quæstionum* libros a se conscriptos memorat, [1] Nic. Antonio teste, qui & poetam hunc nostrum excelluisse asserit, tribuens ei lingua vernacula scriptum hoc titulo librum: *Invectiva poetica contra cinco vicios, sobervia, envidia, ambicion, murmuracion y ira, y elogios de las virtudes contrarias*, Malacæ anno 1641. in 4.

XLVI. Praxin fori Lusitani quod attinet, sunt, qui & de illa sat vastos nobis reliquere commentarios. Principem inter illos locum sibi vindicat Ben. Aegidius seu Gil, ex Pace Julia, vulgo *Beja*, haud ignobili inter Lusitana municipio oriundus. J. C. & caussarum in urbe ac curia Ulyssipponensi patronus, *Vir*, ut judicio verbisque utar [2] Nic. Antonii, *magis adhuc Christianis virtutibus, quam civilis doctrinæ merito, & operum in lucem abs se editorum posteritatis memoriæ commendandus.* Elogium ei

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 2. pag. 50. col. 1. med.
2 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 161. col. 2. med. & tom. 2. pag. 285. col. 1. princ.

ei debitum quoque suspendit [1] Georg. Cardosus, Lusitanus ipse clarissimi nominis, [2] Isidoro item da Luz ob doctrinam & pietatem laudatissimus, obiit die 6. Maji 1623. Scripta ejus varia sunt, juridici in primis, ut & theologici argumenti. Præcipua illorum sunt *Commentaria in leg.* Ex hoc jure 5. π. *de justitia & jure, seu de universa contractuum materia tractatus*, *II. voll.* editus in fol. Ulyssippone annis 1619. & 1621. item *Commentaria ad leg.* 1. *Cod. de sacrosanctis ecclesiis*, Ulyssippone anno 1609. in fol. *Tractatus de jure & privilegiis honestatis*, ibidem apud Petr. Craesbeck anno 1618. in 4. *Relectio leg. Titiæ*, si non nupserit. 100. π. *de condit. & demonstrationibus*: ibi. anno 1600. in 4. Sed præcipuum opus, cujusve gratia auctorem hunc in hanc scenam prodire fecimus, est *Directorium advocatorum*, quod praxin fori Lusitani continet, & post auctoris demum obitum lucem publicam aspexit, ac ab Em. Mendez de Castro in *Praxi Lusitana* commendatur pii magis quam docti auctoris elogio. Lipenius tamen in *Bibliotheca juridica* illud vivo adhuc auctore an. nempe 1609. in 4. Ulyssippone prodiisse vult.

XLVII. Idem argumentum persequutus peculiari quoque volumine est Ant.

CAR-

1 In *Hagiologio Lusitano* ad diem. 4. Maji.
2 Ordinis SS. Trinitatis monachus lib. 3. *de Conceptione*, num. 1460.

Cardoso de Amaral, Lusitanus, ex oppido Ruivaes oriundus, prior S. Laurentii Scalabisci, & professor juris canonici, ut ipse se appellat in libro, quem edidit hujus tituli: *Summa seu praxis judicum & advocatorum a sacris canonibus deducta, & ipsismet conformata.* Ulyssippone apud Ant. Alvarez anno 1610. in fol. ut [1] Nic. Antonius testatur. Emanuel item Alvarez Pegas, Lusitanus, J. C. ac in regio supplicationis Ulyssipponensis urbis senatu caussarum patronus, edidit *Resolutiones forenses practicabiles*, Ulyssippone apud Jo. da Costa 1608. in fol. quæ & fori Lusitani studiosis haud exiguum afferre commodum valet, cum haud vulgares quandoque casus juridici ab illo elucidentur: quare nec infrequenter eorum manibus teritur, qui coram Lusitana Themide caussas suscipiunt tuendas. Confer [2] Nic. nostrum Antonium in *Biblioth. Hisp.* (*trabajo, a quien toda España debe ser agradecida*), ut verbis utar [3] Josephi Gomez de Porres, ord. Carmelitarum monachi Neapolitani.

XLVIII. Restat adhuc par auctorum, qui praxin tum juris civilis generatim, tum Lusitani spaciatim illustrarunt scriptis suis, al-

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 85. col. 1. med.
2 Tom. 1. pag. 262. col. 2. med.
3 In præfatione Steph. Corberæ *Càtaloniæ illustratæ* a se editæ.

alter est MICH. REINOSO Lusitanus J. C. qui *Observationes practicas* Ulyssippone curavit edi anno 1625. quod equidem opus videre nobis non contigit, sat fida tamen [1] Antonii nostri fide id hic recensemus. Alter est THO. VALASCO seu VAS Alvari supra laudati num filius, num consanguineus, ignoratur, id certo scimus cum [2] Antonio nostro, Lusitanum fuisse, & Portucalensem, seu ex urbe Porto oriundum, J. C. item ac in patriæ urbis curia caussarum patronum. Haud vulgares sunt, quas in praxi fori animadversiones collegit, edique sub *Allegationum super varias materias titulo* curavit Porto anno 1612. in fol. Dolendum tamen serio, non ad colophonem perduxisse auctorem opus istud, cum præter primum ejus volumen nihil hactenus lucem publicam aspexerit.

XLIX. Prætoriorum tribunaliumve in primis Lusitanorum qualitatem, methodumque in illis procedendi, senatorumque officium haud injucunde, nec inerudite persequutus est libello, cui lepidum præfixit titulum, D. GASPAR DE SEIXAS VASCONZELOS, Lusitanus, ordinis Sancti Christi eques, Ulyssiponensis ortu. Libri autem istius inscriptio

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 2. pag. 114 col. 2. med.

2 Ibidem pag. 255. col. 1. med.

ptio talis est: *Tropheos de la paciència Christiana, y reglas, que deben observar los supremos ministros de las audiencias.* Lusitane primum ediderat illum auctor, ipseque dein in Castellanam traduxerat linguam. Prodiit autem Madriti anno 1645. in 4. multisque illud, [1] Antonio teste, prosequutus est laudibus [2] Franciscus Emanuel, fortunæ illud ludibrium, *Centuriarum*que *epistolicarum* auctor. Nec graviora nonnulla jurium, praxeosque Lusitanæ momenta intacta reliquit in eleganti variorum thematum juris libro GUNDISALVUS MENDEZ DE VASCONZELOS ET CABEDO, Michaelis senatoris regii filius, Ulyssipponensis, & ex professore juris Conimbricensi domus supplicationis, quæ Ulyssippone est, senator, dein & apud Clementem IIX. Pont. Portugalliæ negotiorum actor, Eborensis doctoralis canonicus & utriusque signaturæ referendarius, prout ex [3] Andr. Schotto refert [4] Nic. Antonius. Prodiit opusculum illud: *Diversorum juris argumentorum libri III.* inscriptum Romæ anno 1596. apud Dom. Basam in 8.

L. Tandem & recenseri hic possent scriptores, qui de juridico æque ac politico regni Portugalliæ statu, Regum de legibus, fo-

1 In *Biblioth. Hisp. nov.* tom. 1. pag. 406. col. 2. med.

2 *Centuria* 3. epist. 35.

3 *Biblioth. Hisp.* tom. 3. clas. 2. pag. 509. seq.

4 *Biblioth. novæ Hisp.* tom. 1. pag. 427. col. 1. med.

foris privilegiisque regni civibus incolisque custodiendis, sartis tectisque conservandis, jurejurando, magnatum in comitiis seu *cortes* suffragiis, aliisque rebus commentati sunt; verum cum idem fere hic obtineat his in rebus modus, qui Castellæ regnis familiaris est, paucioresque sint, qui hæc peculiariter illustrare fuerint conati, silentio eos prætergire præstat; tamen memorandum nobis est par auctorum, qui præcipue de hoc argumento commentaria edidere; alter est Em. Severinus de Faria, Eborensis, metropolitanæque patriæ cantor, qui *Discursos varios politicos* conscripsit, quorum primus *de la assistencia del Rey en Lisboa* multa apprime huc facientia continet. Prodiere illi junctim numero VII. Eboræ apud Em. Carvalho 1624. in 4. Idem & *Noticias de Portugal* II. voll. composuit, quæ MSta adhuc inter locum habent. Alter est Jo. Salgado de Arauxo, Lusitanus ex oppido Monzon dioecessis Braccarensis, primum D. Laurentii de Souropirez, post Peræ abbas ac protonotarius apostolicus, qui ideam justi principis exemplis Regum Portugalliæ exhibere volens scripsit *Ley regia de Portugal*, cujus tamen non nisi pars prima lucem vidit Madriti 1627. in 4. ut reliquos taceam.

SE-

# SECTIO XIII.

## DE PRAETORIIS SEU CANCELLARIIS HISPANIAE.

I. EXacto igitur, quod legibus Hispaniæ Lusitaniæque statutum erat, penso, reliquum nunc est, ut adita perlustremus, unde sacra Themidos Hispaniæ oracula promunt ejus antistites. *Prætoria* innuo, vel, si mavis, *Auditoria*, aut si vulgo loqui amas, *Audiencias* seu *Chancillerias*. Ante omnia nil moramur aniles illas Floriani de Ocampo, gravis cetera historici, sedulique & sagacis antiquitatum indagatoris fabulas; is quippe a Rege jam Abide annos ante natum Christum 1080. leges Hispanis datas, septemque in hoc regno ab eodem constituta prætoria seu [1] cancellarias asserit. Berosinas certe hæc sapiunt dapes, & reliquorum Annianorum fragmentorum ad instar a viris doctis merito exploduntur; nos certius multo figimus pedem in Romanorum ævo, qui potentibus subactam armis domuere, & per plura sæcula rexere Hispaniam.

II. Quid vero *Conventus juridici* (hac enim voce indigitabant illi prætoria ista) Romanis venerit, nemo scite magis elegantius-

1 *Coronica general de España* lib. 1. cap. 40. fol. 76. pag. 2.

tiusque explicat Theophilo in *Paraphraſi* Græca *Inſtitutionum juris Juſtinianei*, cujus verba ex Latina [1] Jac. Curtii Brugenſis J.C. interpretatione hæc ſunt: Συνέδριον *ſeu concilium eſt conceſſus certorum virorum ſtatis anni diebus coeuntium. Habebatur autem hoc concilium non Romæ tantum, ſed & in provinciis. Coibant autem viri illi tempore conventus. Et quid eſt* conventus? *Eſt certum ſtatumque tempus litium dirimendarum gratia inventum. Nam Romani cum totum fere annum bellis gerendis occuparentur, certo quodam tempore, cum hiems eos & hibernæ tempeſtates ſub pellibus agere prohiberent, quoniam, ut in communi vita ſine litibus controverſiiſque eſſe non poterant, omiſſis armis, judiciis vacabant, & multos eam in rem conſtituebant ut judices, ut ambiguas ipſorum cauſſas dirimerent, qui* recuperatores *vocabantur, quia per eos unuſquiſque debitum ſibi recipiebat. Tempus autem illud* a conveniendo conventus *dictum eſt, conveniebant enim eo tempore & judices & litigatores*, cet.

III. Dixeris equidem, ex his Theophili verbis non locum juri dicundo dictum, ſed tempus conventum celebrandi indicari: verum recte ab eruditiſſimo Hiſpanarum antiquitatum inveſtigatore [2] Rod. Caro Hiſpa-



1 §. 4. Inſtitut. *Quibus ex cauſſis manumittere non liceat.*

2 *Antiguedades de Sevilla* lib. 1. cap. 8. fol. 12. col. 3 & 4.

spalensi J. C. animadversum est, & loco conventus decursu temporis vocem istam fuisse applicatam eadem, qua palæstra & lucta audit, & luctæ arena, & naumachia ac theromachia & pugnis navium, bestiarumque, & earum locis adaptatur, ratione. A Romanis ergo universæ, quam subegerant, Hispaniæ provinciam in conventus distinctam fuisse, cum [1] Plinio nos edocent geographi veteres fere omnes, qui sequentes numero XIV. enumerant juridicos per Hispaniam conventus:

*In Citeriore Hispania, quæ & Tarraconensis audit:*

I. TARRACONENSIS. IV. CLUNIENSIS.
II. CAESARAUGUSTANUS. V. ASTURICENSIS.
III. CARTHAGINENSIS. VI. LUCENSIS, &
VII. BRACCARENSIS.

*In Ulteriore Hispania, & quidem Lusitanica,*

VIII. EMERITENSIS. IX. SCALABITANUS &
X. PACENSIS.

*In Bætica autem,*

XI. HISPALENSIS. XIII. ASTIGITANUS &
XII. CORDUBENSIS. XIV. GADITANUS.

Horum quisque *præside*, qui quæstor, con-

1 *Histor. Natural.* lib. 3. cap. 1. Ubi consule Solinum Salmasii.

consul, [1] proconsulve esse poterat, regebatur. *Legatus* autem proprie vices prætoris gerebat, prout hæc omnia fusius apud magistratuum Romanorum scriptores, qui aliquoties junctim editi prostant, reperire licet. Quæ Hispaniam attinent, pro dignitate rei illustrata dedit [2] Ambr. Morales, gravis ille Hispaniarum antiquarius.

IV. Perstitit diu ea regiminis jurisque dicendi apud Hispanos ratio, & sub Gothorum quoque aliquem conservavit vigorem imperio. Successu tamen temporis sub Castellæ Legionisque Regibus in conventuum istorum locum subrogata fuere prætoria seu cancellariæ, quæ hodiedum illic terrarum vigent. *Audiencias* vulgo seu *chancillerias reales* audiunt, numero autem priscis illis impares sunt, multo quippe pauciores, & ad duorum saltim reducta numerum. Antequam vero speciatim verba de iis faciamus, earumque originem statumve enarremus, placet & vocis, & rei uberiorem dare lectori explicationem, ut quid hodie prætoriorum vel audientiarum nomine Hispanis veniat, penitius ediscat. Elegantius autem doctiusque id a nobis fieri nequit, quam incom-



1 Leg. 1. π. *de officio præsidis*. Conferri omnino merentur JCti, qui commentarios ad tit. 9. & seqq. lib. 1. π. conscripsere.

2 *Coronica general de España* lib. 9. cap. 32. fol. 293. lit. B.

parabilis [1] Didaci de Covarrubias & Leyva (quem nominasse, cujusque usum esse suffragiis, est caussam vicisse) verbis. Sic autem ille:

„ Ceterum Castellæ Rex, ut litigan-
„ tium subditorum commodis & expensis
„ consuleret, & ne passim cogerentur Regem
„ ipsum sequi, omnes hi, qui appellatio-
„ nis caussa aut querelæ, seu pro jure exi-
„ gendo regiam curiam adirent, ac subin-
„ de, ut summus ejus senatus & consiliarii
„ ejusdem tot alioquin negotiis impediti, quæ
„ brevem ac celerem expeditionem exigunt,
„ commodius regimini reip. vacarent, duo
„ constituit itidem regia prætoria, unum
„ *Pintiæ*, alterum *Granatæ*, quæ quidem
„ prætoria *Curiæ regiæ* appellantur.

V. „ Ad hæc vero prætoria (pergit idem)
„ caussæ appellationum & omnes aliæ regu-
„ lariter, quæ ex legibus hujus regni ad cu-
„ riam regiam deferri possunt, & deferen-
„ dæ sunt, jure quodam ordinario deferun-
„ tur, quibusdam negotiis exceptis, quæ
„ regio supremo senatui ejusque summis con-
„ siliariis excipiuntur. Dicuntur tandem hæc
„ regia prætoria vulgo *audientiæ regales*, La-
„ tine dici caste poterunt *auditoria*. Nam
„ *auditorium* locus est, ubi caussæ audiun-

„ tur,

[1] *Practicarum quæst.* tom. 2. operum habentur, cap. 4. pag. m. 380. col. 1. med.

„ tur, & lites judicantur, [1] *l.* 54. §. *un.* π. „ *de re judicata*; *l.* 22. *in princ.* π. *ad Trebellianum*; *l.* 18. §. 2. π. *de minoribus* „ *l. Lecta est in auditorio*, 40. π. *de rebus credit.* [2] Quin & in sacris ejus fit mentio in Latina Bibliorum versione. *Cancellariæ* etiam appellantur a *cancellario*, qui „ princeps olim fuit in curia, & præfectus „ summus regii prætorii, cet. Et cancellariæ „ hæ Regis verbis responsa faciunt supplici- „ ter adeuntibus, & jus reddunt litigantibus, „ antistitesque in plerisque æquitatis censen- „ tur. Denique curiæ Regis sunt, ac sub regio „ nomine & sigillo litteras decernunt super „ rerum judicatarum exsequutionibus, & su- „ per aliis rebus, quæ ab illarum prætorio „ examinantur & definiuntur. “ Hæc Covarrubias.

VI. Hodie ergo non plura in Castellæ regnis habentur prætoria binis illis, PINCIANO nimirum, seu VALLISOLETANO, & GRANATENSI. Prius fundatum dicitur circa annum 1442. id quod sub Joanne II Castellæ Rege factum oportet; quamvis nec in Ferd. Peresii de Guzman chronicis seu vitæ ejus Regis historia, nec apud epitomatorem ejusdem Jos. Martinez de la Puente ullum



1 Confer. Alciatum aliosque commentatores ad istas *LL.*

2 *Actorum Apostol.* cap. 25. ver. 23.

ea de re veſtigium exſtet. Edocemur tamen iſtud a Rod. Mendez Silva æque ac [1] P. Cl. Clemente, hoc in opere chronologico, iſto in [2] *Polygraphia* Hiſpaniæ teſte. Addit hic, primum in curia hac Valliſoletana præſidem exſtitiſſe Alf. de Fonſeca & Azevedo, Hiſpalenſem primum, poſt Compoſtellanum archiepiſcopum patriarchamque Alexandrinum. Conſuli & de hoc argumento poſſunt [3] Lucas ſeu Lucius Marinæus Siculus, & [4] Aegidius ſeu Gil Gonſalez Davila, celeber uterque Hiſpanarum rerum hiſtoricus.

VII. Notari tamen meretur, quod ex [5] Did. de Colmenares Segobienſi canonico, fidoque admodum patriæ hiſtorico, animadvertit modo laudatus [6] Rod. Mendez Silva, claruiſſe jam in Segobienſi urbe anno 1388. regiam Caſtellæ cancellariam, quæ tunc non niſi unica erat; ſtatuſque regni, cum comitia in urbe Bribieſca celebraret Joannes II. Caſtellæ Rex, ſupplices ad ipſum dediſſe preces, ut cancellariæ iſti in mandatis daret, alterum anni dimidium in veteri Caſtella, al-

1 *Tablas chronologicas de España* pag. 140. col. 2. editionis novis.

2 *Poblacion general de España* fol. 13. col. 1. edit. novis. 1645.

3 In *de rebus Hiſpaniæ memorabilibus libris* ad dictum annum 1442.

4 In *Theatro eccleſiaſtico*, tit. *Compoſtella* tom. 1. pag. 80. princ.

5 *Hiſtoria de la ciudad de Segovia* cap. 26. §. 11.

6 *Poblacion general de España* fol. 14. col. 1.

alterum in nova exigere dirimendis litibus; nullum autem precibus istis apud Regem fuisse locum, a quo cautum tunc fuisse asserunt, ut continuo curia illa in Segobiensium resideret urbe, consiliariis, qui *oidores* vulgo audiunt, constitutis sequentibus jurium doctoribus, Alvaro Martinez, Didaco del Corral, Roderico Bernal, Petro Sanctii, Gundisalvo Mero, Arnaldo Bonal, Petro Lupi, Alfonso Roderici, Antonio Sanctii & Didaco Martinez. Paululum diversus hic a Colmenares est Alfonsus Lopez de Haro in egregio [1] *Magnatum Hispaniæ* genealogico opere, qui illud anno demum 1390. factum statuit, Regemque in ista tunc curia quinque, ut vocant, prælatos seu clericorum ex ordine viros, duos nobiles, quorum alter prædictus erat Didacus del Corral, & septem doctores constituisse *oidores* seu consiliarios asserit. Enata hinc mihi est suspicio, ex illa dein Segobiensium urbe forsan translatam Pinciam seu Vallisoletum (*Valladolid*) curiam regiam anno 1442. fuisse.

VIII. Nec id omittendum est, Ferdinandum & Elisabetham Reges Catholicos de emendandis, qui crebriores tunc in illa Pinciana curia occurrebant, abusibus serio cogitasse. Testem ejus rei luculentum satis pro-



1 *Nobiliario genealogico de los Reyes y titulos de España* tom. 2. lib. 10. fol. 526. col. 2. med.

ducimus Steph. Garibajum & Zamalloa, gravem rerum Hispanarum commentatorem, qui expressis [1] affirmat verbis, jam laudatos Reges, cum circa anni 1487. principium Salmantina degerent in urbe, curiam istam ex Vallisoletana eo transferre curasse, & in ipsa regia, ubi commorabantur, domo constitui, quo propius defectus ejus, modumque administrandi justitiam intueri oculis possent. Assentitur [2] Garibajo Cl. Clemens, tamen ab ipso alius, quod in annum 1489. gesta hæc rejiciat. Quin & noviter instauratam emendatamve hanc curiam anno 1501. ab eodem Ferdinando Catholico fuisse idem evincit [3] Clemens. Anno dein 1601. iterum mutatæ hujus curiæ fuere sedes: ipsaque, cum aula regia Madrito Vallisoletum cederet, Methymnam seu Medinam Campi translata est inde; Burgos dein veteris metropolim Castellæ abiit; tandemque anno 1606. cum aula regia remearet Madritum, patrias, [4] Vallisoletanas scilicet repetiit sedes, ubi hodienum sedem stabilem perennemque fixit.

IX. Constat tribunal hocce supremum seu curia regia præside, sedecim senatoribus

1 *Compendio historial de España* lib. 18. cap. 31. fol. 1340. med.

2 *Tablas chronologicas de España*, sæculo 15. pag. 140. col. 2. med.

3 Ibidem sæculo 16. princ. pag. 143. col. 2.

4 Ibidem pag. 149. Conf. Mariana *Historia general de España* tom. 2. fol. 376. col. 2. edit. novis. 1678.

bus seu consiliariis, quos *oidores* appellant, duobus fisci regii curatoribus, seu *fiscales*, ut vulgo vocant, quatuor item ministris regiis, *alcaldes de corte* dictis, & tribus nobilium, *alcaldes de hijosdalgo*, fisci item curatore & judice supremo, (*fiscal y juez mayor de Biscaya*) Biscaino, ut reliquos minorum gentium ministros omittam. Conferatur interim sæpius jam citatus 1 Rod. Mendez Silva. Prolixius autem hic esse possem in enarrandis cujusque muniis, & jurisdictione hujus tribunalis explicanda: sed cum ALF. DE AZEVEDO, quem superius laudavimus, ad amussim ea omnia fuerit exsequutus, epitomenque quamdam ex eo nobis dederit collectio *Reipublicæ Hispanicæ*, quæ inter Elzevirianas habetur, supervacaneum id hic repetere puto. Habentur & in primis, quod novissimo hoc tempore, & factas in illo circa prætoria hæc constitutiones attinet, earum permultæ in ultima legum Castellæ compilatione, quæ anno 1640. lucem vidit, & a nobis quoque est recensita, quo lectorem ablegamus, & ad alteram nunc convertimur curiam seu prætorium regium.

X. GRANATENSE illud est, seu, ut olim audiit, *Ciudad-Realense*. Primordia illud refert sua ad Ferdinandum & Elisabetham Reges Catholicos, qui in urbe Civi-

1 *Poblacion general de España* fol. 14. col. 1.

vitatensi, vulgo *Ciudad-Real* curiam istam primitus collocaverant anno 1494. jurisdictionem ejus extendendo ad universum illum tractum terrarum, qui flumine Tago a boreali sejungitur Hispania ad Portugalliæ usque limites. Perstitit & hæc curia in Civitasensi urbe per integrum XI. annorum spatium, videlicet usque dum anno 1505. in ereptam noviter Maurorum manibus & jugo regiam Granatensem transportaretur ab eodem augustissimo Ferdinando, ubi in hodiernam usque viget lucem. Primus ejus memoratur præses Alfonsus de Carrillo, episcopus primum Catanensis in Siculis, post Abulensis. Testes hujus rei profero [1] Steph. Garibajum, [2] Aegidium Gonzalez Davila, [3] Rod. Mendez Silvam, [4] Cl. Clementem, qui tamen in annum 1491. fundationem regiæ hujus curiæ rejicit. Constat autem iisdem pæne, quibus Vallisoletana, ministris, eodemque illic modo, quo Pinciæ, in justitiæ proceditur administratione. Id solum addi meretur, epistolam Regiam, qua ex Civitatensi in Granatensem urbem transferri curiam hanc mandatum

1 *Compendio historial de España* lib. 19. cap. 4. pag. 1382. fin.

2 *Theatro eclesiastico* tom. 2. fol. 287.

3 *Poblacion general de España* cap. 30. fol. 23. col. 4.

4 *Tablas chronologicas de España* pag. 142. fin. & 144. col. 1. med.

tum est, scriptam fuisse in urbe Toro ad diem VIII. Februarii anno 1505. & haberi in vetusto ordinationum curiæ hujus mox laudando volumine num. I. pag. 2.

XI. Quod statuta ac ordinationes spectat utriusque horum prætoriorum, & primo quidem Vallisoletani, prodiere illæ typis impressæ Pinciæ anno 1566. in fol. Nobis etiam manu exaratas illas videre contigit in amplissima Parisiensi bibliotheca regia, in volumine in fol. quod in catalogo num. 10516. recensetur. Granatenses prodiere primum collectæ jussu & auctoritate senatus ipsius anno 1551. impressæ in urbe Granata una cum *Repertorio* ad alphabeti seriem digesto, hoc præfixo volumini titulo: *Cedulas, provisiones, visitas y ordenanzas de los señores Reyes Catholiços, y de sus magestades, y autos de los señores presidente y oidores, concernientes á la facil y buena expedicion de los negocios y administracion de justicia y governacion de la audiencia real, que reside en la ciudad de Granada.* Idem quoque senatus Granatensis anno 1601. noviter correctum emendatumque *Ordinationum* hujus curiæ systema edi curavit in fol. Prodiit etiam anno 1670. civitatis Granatensis *ordinationum statutorum*que volumen a senatu curiæ ejusdem publicatum hac cum inscriptione: *Ordenanzas, que los muy ilustres señores de Granada mandaron guardar para la buena*

go-

*governacion de su republica*, (auctior multo est hæc editio priori, quæ anno 1552. prodierat) Granatæ apud Franc. de Ochoa 1672. in fol. *Decisiones* etiam Granatensis hujus illustris senatus II. voll. edidit celeberrimus JCtus JO. BAPT. DE LARREA, cujus non absque debitis laudibus supra in Biscainis legibus meminimus. Prodiere illæ typis Lugd. anno 1636. in fol. & iterum Turnonii in Gallia 1648. in fol.

XII. Quartum Hispaniæ prætoriorum seu audientiarum regalium (tertium enim, quod Gallæciæ est, supra peculiari post Biscainos capite pertractavimus, est NAVARRICUM seu Navarræ regni, quod sedem in Pampilonensi fixit urbe, de quo quid dicam, habeo plane nihil, nec ejus *Ordinationes ac pragmaticas* videre vel M. Stas. vel typis impressas mihi licuit. Eodem autem, quo reliqua tria prætoria, caussas tractare modo certum est. Nimis etiam prolixus forem, si & reliqua Hispaniæ auditoria seu prætoria minora, quæ in quovis fere territorio reperiuntur, prolixius hic persequi vellem. Quin & Domitianeum agerem laborem, si singularum urbium oppidorumve statuta & jura municipalia, quorum nonnulla typis impressa sunt, plurima autem inter M. SS. asservantur, hic recensere vellem; quare nihil addo coronidis loco, quam pauca verba de primis, ut loquuntur, *instantiis*; in modo nempe processuum ordina-

nariam cauſſæ cognitionem ſeu primam inſtantiam habet judex ordinarius in quolibet oppido & pago (*el juez ordinario*); in urbibus vero & municipiis corrector (*el corregidor*), qui a Rege ejusve ſenatu in civitates mittitur, & in oppida regia, ac primam litis cognitionem exercet. Controverſia autem adhuc verſatur inter doctores, num item poſſint nobiles & domini oppidorum tales conſtituere *corregidores*, nec deciſa adhuc res hæc ſub judice eſt. Ab illis dein judicibus ordinariis ad ſummum quoddam tribunal, de quibus jam loquuti ſumus, appellando devolvitur, vel etiam ad ſupremum Caſtellæ ſenatum regium, ſi res eſt, quæ huic ſoli competit judicanda, itur, prout prolixius hæc omnia deducunt doctores, qui de praxi fori Hiſpani commentati ſunt, & prolixius a nobis jam ſupra peculiari capite recenſiti fuere. Conferantur interim [1] Covarrubias & Alfonſus Azevedo, ac, qui hunc excerpſit, collector *Reipublicæ Hiſpanæ*, quæ inter Elzevirianas eſt.

1 *Practicarum quæſtionum* cap. 4. toto.

EPI-

# EPILOGUS.

SIsto tandem calamum, benevole lector: tuum nunc est, opellam hanc pro tuo captu nigro albove notare lapillo: *Habent enim sua fata libelli.* Fateor equidem, admodum multa adhuc desiderari in hoc opusculo jure posse, si ad amussim omnia a me exigantur. Verum, si hominem peregrinum exquisitiori librorum apparatu destitutum, & longissime ab Hispania remotum consideres, facile, spero, condonabis, quidquid minus recte dictum judicatumve a me reperies. Sed & hoc te monitum volo; animus erat & *de jure ecclesiastico Hispanico*, decretis conciliorum synodorumque, *privilegiis clericorum*, eorumque juribus, aliisque huc pertinentibus; de *nobilitatis* item *magnatum*que Hispaniæ *juribus*, *privilegiis*, *majoratuum* doctrina, *hidalguia*, aliisque; *de jure* item *maritimo*, legibusque & libris eo facientibus, tandemque *de regnorum*, quæ in Italia Hispanis parent, & utraque India, legibus, eorumque historia prolixius in hoc opere agere; sed temporis angustia, bibliopolæ desiderium, patronorumque ante omnia jussus, colophonem ut nunc imponerem, imperarunt. Si tamen æqua hæc susceperis mente, est quod partem alteram hujus operis, volente Deo, aliquando tibi videre liceat. Bene vale.